Nd 20.

RODOLPHI GOCLENII SVMMI PHILOSOPHIÆ DOCTORIS, PROFESSORIS ACAdemici,

PARTITIONVM DIALECTIcarum ex Platone, Aristotele, Cicerone, Philippo, Bernardo Copio & aliis; in vsum discipulorum suæ fidei commissorum, concinnatarum;

LIBRI II.

OMNIBVS IIS, QVI ARISTOtelica, & Ramea simul intelligere, nodosq; difficiles expedite dissoluere cupiunt, multum profuturi.

ACCESSIT *De ratione disputandi breuis & Methodica Introductio.*



FRANCOFVRTI
Ex Officina M. Zachariæ Palthenij. 1595.

CLARISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO, D. M. RODOLPHO GOCLENIO, SVMMO PHILOSOPHIÆ

phiæ Doctori, Professori Academico, Mecœnati ac fautori suo plurimum colendo. S. P.

QVOTIES mihi in mentem tui venit, Vir clarissime, toties admiratione veræ virtutis, & exactæ eruditionis tuæ, tacitus obstupesco. Nec aliis inuideo celeberrimi nominis tui singularem gloriam: sed in circulis, & quauis diatrib9 vnum te dignissimis laudibus, atq; vtinam te, viro incomparabili dignis effero. Fit igitur vt familiares mei te familiarius, quam me norint. Et quis non laudet, celebret & præconio nequaquam seruili, eum extollat? qui humanitate, mortalium cedit nemini? humaniorum literarum studio, & rerum omnium magnarum scientia, non modo sui, verum

Heroici etiam temporis omnes ſuperat? Sunt homines literis tincti, ſed moribus agreſtes aut laſciui. Vtrumque indignum eſt, & literatorum nomine & literarum ſtudio. Sed ita viuitur. Quod autem tu ita viuas, vt nec comitas in leuitatem, nec grauitas in inhumanitatem aut faſtum deſinat; Charites amare, non docere tantum iudicaris. Atq; hæc de moderatione animi tui, quæ theatra impleret, paucis dicta ſunto: vereor enim, vt caſtas aures tuas, & lenociniis blandiẽdi impollutas offendam. De eruditione, vir apprime eruditus ſit qui dicat. Nã talem vnumquemque credere debemus, qualem nobis imago repræſentat. Ac propterea Alexander non a quouis pingi ac ſculpi voluit, & Homerum, qui res eius geſtas celebraret, optabat reuiuiſcere. Quamobrem ego te ab eruditione non laudo, ſed vt dixi, admiror te omnium, quorum excellens memoria eſt, omnium præſtantiſſimũ. Conſtringunt orationem numeris alij: in numeros alij orationem diſſoluunt liberius. Tu vtraque

ſcriben-

ſcribendi facultate polles. Scribunt alij non indocte: docent alij ſtylo admodum ieiuno. Tuam ſcribendi vbertatem, docendi copia non exeſt. Profitentur alij alias artes liberales. Tu in omnibus ita verſaris, vt cæteris nequidquam reluctantibus eripias palmam. Ita ego de ſolida, quam in cyclo veteres collocant, abſolutaq; doctrina tua ſentio. Quod ſi dicendo poſſem exprimere, quæ cogitando non aſſequor, efficerem vt te familiares mei nō modo noſcerent, ſed etiam colerent atq; venerarentur. Sed tibi opus non eſt vllius encomio. Calamus tibi eſt, quo nominis famam clariſſimam, clariorem reddas. Ego quæ calamo meo ex ore tuo eloquētiſſimo inter docendum & diſputandū obiter excepi, cum magnam mihi, ſpem facerem, fore e re literariæ Reipublicæ eorum editionem, ea per hanc hyemem in typos digeſſi, vt non modo, qui te audiūt, verum etiam, qui hæc lecturi ſunt, te & melius norint & cupide fruantur. Vtinam qua tu grauitate dictabas, ego cōcepiſſem: ſed quis flumen orationis

tuæ hauriat? consultum esset rei literariæ. Nunc tua, non tua euulgo; quod mei officij est facio; & tibi dedico, non tantũ quod χάρις χάριν requirat, verum propterea quoq;, quod lima tua, hoc quidquid est operis, indigeat. δεύτεραι φροντίδες, sic vos Græci soletis dicere, ego non intellexi quam vere, antequã meditationes tuas æternitate dignas prælo committerem. Tum enim cognoui primum quam non sim assecutus, quem sum secutus. Vrgebant nundinæ. Tu in proximas nundinas fac, cuius te rogo, & iterata diligẽtia consule honori nominis tui celeberrimi & vtilitati omnium. Quod iam vnum mihi in optatis est, si fœtum tuũ agnoueris, gaudebo: ego certe magistrum te agnosco: cui nõ modo hanc opellã, sed si quid in me cultioris ingenij est, refero acceptũ: vt enim esset, tibi fuit curæ. Vale vir eruditissime. Datæ Francofurti Cal. April. Anno 1595.

M. Zacharias Palthenius Typographus Francofurtensis.

GENE-

GENERALIA PROLEGOMENA.

GENERALIA *prolegomena in omnes artes, in quibus præcipue explicantur tres leges Aristotelicæ de materia præceptorum artis, & vnica de forma seu methodo.*

Antequam ingrediamur amplissimum artium campum, operæ pretium facturi videmur, si de disciplinarum caussis differuerimus. *Scire enim*, teste Aristotele, *est rem per caussas cognoscere.* Primum ergo de *efficiente*, secundo *de materia*, tertio *de forma*, quarto *de fine* artium, quinto *de literarum & philosophiæ partitione* dicemus.

DE PRIMO: SCILICET artium inuentione.

Artium instrumenta seu principia, quorum scilicet beneficio sunt inuentæ, numerantur ab Aristotele 1. *post.* 14, quatuor; *Sensus: Obseruatio*; *Experientia*; *Inductio*. Primum enim homines studiosi sensilium & singularium omnia præcepta per sensus inuenerunt; *Grammatica ex bene loquentium singularibus exemplis, quæ sensus deprehenderunt, initium suum sumsit. Physicus a sensu primum tactus habuit, cur vniuersale hoc axioma constituerit, ignis est calidus.* Secundo mens indiuidua a sensibus animaduersa, diligenter obseruat & componit in Grammaticis. *Hoc primi illi artifices, qui de pure loquendo scripserunt exempla, ex pure loquentibus, a sensibus ad mentem transmissa, obseruarunt & ani-*

inaduerterunt. Tertio, cum iam sensus perceperunt res singulares, intellectus vero obseruauit, experientia & vsus veritatem illarum comprobat. *Quare nullum praeceptum in artibus tradendum aut recipiendum est, quod ab vsu verorum exemplorum confirmari non potest.* Quarto inductio singularia exempla colligit, ad constituenda θεωρήματα, seu præcepta generalia; *Grammaticus, quia videt, ouile, cubile, monile neutrius esse generis, nec dissimile exemplum ei occurrit, facit canonem, in E. neutra sunt. Physicus quia videt vinum Rhenanum, Hispanum, Maluaticum, Italicum calefacere, facit canonem, omne vinum calefacit.* Per hæc omnia artes collectæ sunt. *Cum primum Physicus in siderite percepisset, obseruasset, & expertus esset vim ferri attrahendi, non tantum vno sed omnibus, qui haberi poterunt, singulis per inductionem collectis, vniuersale thema statuit, Magnes trahit ferrum.*

Collatio cum Melanchthone.

Non multum ab his discrepat P. Melanchthon, qui tria facit artium philosophicarum κριτήρια, id est, normas certitudinis & regulas iudicij tres: *Principia a natura orta: Experientiã vniuersalem seu regulam: & intellectum ordinis atq; consecutionis.* Principia Græce πρῶτα, sunt *notitiæ nobiscum nascentes, quæ sunt semina singularum artium (& virtutum diuinitus insita nobis)* cuiusmodi sunt, *Totum est maius qualibet sua parte, causa non est suo effectu posterior. Homines nascuntur ad societatem certo ordine tuendam.* Experientia est eorum, *quæ sensu percipiuntur, vt fœ-*

vt fœmina parit, ignis vrit, homo est mortalis. Intellectus ordinis est *iudiciũ consecutionis & connexionis axiomatum.* Patefactio diuina *pertinet ad Theologica.* Iam principia, etsi non acquiruntur discendo, tamen ad inductionem & obseruationem plurimum conferunt.

Ad experientiam vniuersalem Philippi, *sensus, obseruatio & inductio*, simul referri possunt. A sensu enim oritur experientia, & ab experientia efflorescit inductio. Comparatis enim omnibus vel multis singularibus exemplis per experientiam fit regula.

DE MATERIA.

Materia artium sunt ipsa præcepta. Huius præparandæ, purgandæ, dolandæ, poliendæ, artificioseq; informandæ instrumenta sunt nobis relicta ab Aristotele in posterioribus analyticis, quæ toties a Ramo inculcata sunt.

Suæ fabris regulæ sunt fila & amusses: ita artem confirmantibus sua axiomata & leges necesse est esse, ad quæ præcepta dirigant. Hæ tres sunt, prima *veritatis*, secunda *iustitiæ*, tertia *sapientiæ.*

LEX I.

Omnium artium præcepta sunt κατὰ παντὸς, id est, de omni & generaliter vera.

Explicatio legis.

Vis huius regulæ vel legis est, vt prædicatum omni vel toti subiecto insit perpetuo ita, vt nullum vnquam tempus, nullus vspiam locus

exsistere possit, cui non insit. Vt enim proba moneta omnibus locis & temporibus valet, adulterina vero & plumbea repudiatur, sic quod semper & vbiq; verum est, in arte legitimum, contrarium contra. Vt cum dico, *Homo est animal*, prædicatum animal, non alicui tantum homini, sed omni in vniuersum inest, adeo vt de quocunq; verum est dicere, *eum esse hominem*, de eodem verum sit, *eum esse animal*, & quidem non solum hoc tempore, sed perpetuo. In hac vero enuntiatione, *Omnes ordines Imperij sunt in Comitiis Augustanis* nō est κατὰ παντός. Etsi enim subiecti vniuersitatē habet, tamen nullam habet temporis perpetuitatem, hodie enim sunt Augustę, post mensem alibi.

¶. I. ¶Ex quo liquet duas τοῦ κατὰ παντὸς esse conditiones, subiecti vniuersitatem & temporis perpetuitatem. Nec moueat quenquam Grammatices materia, cum propter crebras exceptiones omnium artium maxime refractaria sit, & sub hanc regulā non cogi posse videatur. Nam in Grammatica exceptiones ipsis regulis subnexæ, id est, anomalia analogiæ statim addita & coniuncta legem κατὰ παντὸς explent. Item, quamuis Astrologia singulorum corporum cœlestium, non vniuersalium, affectiones vt plurimum docet, hac lege tamen tractanda est. Corpora enim cœlestia cum non sint caduca sed æterna, quemadmodū alioqui singularia caduca sunt, pro vniuersalibus, quæ perpetua sunt, merito habentur.

¶. II. ¶Apparet & hoc, lege hac recludi axiomata falsa, incerta, contingentia, mutabilia. Peccant contra

hanc

hanc Grammatici cum docent, *verba neutra non recipere R*. non est hoc κατὰ παντὸς, cum non sit perpetuum. Dicitur enim, *ego tellus habitor, Bacchus bibitur. Ego terra aror*. 2. Cum dicunt, *nomina in VS rerum inanimatarum carere vocatiuo*. falsum hoc esse dicit Rhetor, qui per prosopopœian Lanum alloquitur, & parietes, Corylos. 3. Cum dicunt nullum Latinum habere diphthongum. Et hoc non est vniuersaliter verum sed particulariter, Latina enim sunt ceu, *nauus, neutrum*. ¶ Præterea lex de omni monet, vt artium axiomata sint affirmata. Definitur enim ab Aristotelicis de omni, Propositio affirmata vniuersalis, *in qua consequens ita antecedenti tribuitur, vt & semper & omnibus eius partibus insit*. Vnde liquet definitiones vitiosas esse, quæ sunt negatiuæ. Si quis igitur definiret accidens quod sit, neq; species neq; sensus neq; proprium nec differentia, ei dices, non est κατὰ παντὸς, quia quod affirmari debuit, per negationem enuntiatur. ¶ Colligitur etiam hinc, eiusmodi regulas, quæ de singularibus sunt, non esse artificiosas. *Præpositio ad regit accusatiuum: Adiectiuum amicus & similis regunt datiuum*. ¶ III ¶ IIII

Obiectiones contra legem primam.

Primum argumentum. *Conditio κατὰ παντὸς est de rebus perpetuis. Nihil autem in tota rerum natura est perpetuum. E. lex κατὰ παντὸς nulla est*. Respondeo, Primū assumtio non est generaliter vera. *Sol enim Luna & eiusmodi alia corpora sunt posita extra corruptionis aleam*. Deinde respondeo, per distinctionem, *aliud est loqui de integris*

propositionibus, quæ sunt perpetuæ, vt hæc ruta est planta, aliud de subiectis propositionũ, quæ possunt esse mutabilia, vt hæc ruta est subiectum corruptioni obnoxium. Lex autem κατὰ παντὸς quandam perpetuitatem veritatis requirit, immotã certitudinem, omnium rerum, theorematum, &c.

2. *Nulla regula tam firma est, quin habeat exceptione. E. & pax in Repub. Aristotelis, Platonis, inane nomẽ est, & vt κατόρθωμα Stoicorũ teneri nequit. sic & lex hæc obseruari nequit.* Antecedens probat Grammatica, *quæ nullam fere analogiam vniuersalem siue anomaliam recipit.* Itaq; ait, *vrbium nomina sunt generis fœminini. Excipe, &c.* Respondeo, ad antecedens. Si antecedens simpliciter intelligatur, cõtinet hyperbolen. Nam multi etiã canones sunt, sine vlla exceptione vniuersales. Quod si regula aliqua generaliter vera esse non potest, adiungenda est regulæ exceptio, & sic illud κατὰ παντὸς constituitur.

Pũncti definitio. 3. Mathematicus Proclus ait, *necesse esse, principia negatione definiri, vt punctum est, cuius pars nulla est, seu quod nullam habet magnitudinem. E. non necesse est, omnia artium præcepta esse affirmatiua.* Respondeo, Est elenchus auctoritatis, quia ab Herone signum seu punctum affirmate definitur *terminus lineæ*. Imo cum Ramo, linea potest definiri magnitudo, longitudinis tantũ particeps, vt non necesse sit definiri ita: *Linea est magnitudo, quæ non habet latitudinem.* Potest & Aristoteles opponi Proclo, Ille enim hanc definitionem, linea est longitudo sine latitudine reprehendit, quia negatione fiat, *cap.3.top.6.*

Lineæ definitio.

4. *Rheto-*

4. *Rhetorũ præcepta de disponendo & inueniendo non sunt perpetua, sed mutabilia. E. prima lex in Rhetoricis seruari non potest.* Respondeo, doctrina de disponendo & inueniendo non est propria Rhetorum, sed dialecticorũ. *Secundo* Respondeo, consilia & opiniones hominum a legitimis artium præceptis separandas esse, easdem scholiorum vice esse, & ab explicatoribus tradi posse. *Tertio* si quid tradatur, quod regulare est, non vniuersale, addendam esse restrictionem, ita enim τὸ κατὰ παντὸς explebitur. Aliud Ars, aliud Scholia.

LEX II.

Quodlibet præceptum artis debet esse καθ' αὑτὸ, id est, arti essentiale & cognatum.

Hæc lex iubet singulis artibus sua, eaq; omnia, nullo præterito ac omisso attribui, præcepta congregari homogenea, segregari ac reiici heterogenea. Vt enim Chymicus beneficio ignis aurum a scoriis purgat, ne terrestres feces sordesq; admixtæ sint auro, vel etiam aliorum metallorum partes permixtæ; ita etiam artes purgari oportet, vt nihil nisi suum habeant. Et vt Imperator de finibus regendis præcipit, vnumquemq; suo contentum esse, & vt rustici habent agros limitibus distinctos, ne huius ager incurrat in illius aut illius, aut huius: sic artium fines constituendi & discriminandi sunt, vt nihil irrepat alienum. Hac igitur lege ars artem ex iure manu consertam vocabit, quod in alienam possessionem irruerit, id quod piacu-

lum est. Probat, & ostendit nobis hanc legem Aristot. lib. 5. Rhetoricorũ, cum ait, nos discedere *ex finibus dialecticæ, cum aliarum disciplinarum locos proprios attigerimus.* Wesenbecius, cum vult *ex sententia Aristotelis, negantias, præcidi, errores falsarum opinionum, quod infinitum & inutile quiddã sint, a doctore prætermitti, separari vitia a virtutibus.* Philippus, cum in prima editione dialectices ait, *æquipollentias, cum plane ad Grammaticos pertinere intelligamus, quid attinet in Dialectica repetere?* Et Camerarius, *Nolumus, confundere fines professionũ, sed grammaticæ proprium opus attribuere.* Item Philippus alibi, *non temere vagandum, & Græci dicunt,* ὑπὲρ τὰ ἐσκάμμενα, *nec currendũ,* ἐκ τῆς ὁδοῦ, *discernendas materias proprie ad aliquem locum vel artem pertinentes a peregrinis disputationibus, quæ nihil* πρὸς ἔπος *seu ad institutum faciunt.* Falsorum quoque errorum refutationes, quantumuis veræ, in legitima tamen artis descriptione non feruntur, sed per hanc legem tolluntur, quia vitia sunt heterogenea virtuti, & quia cognita virtute, facile etiã per se cognoscuntur vitia. Tollenda igitur ex Dialectica Sophistica, nam non minus ridiculum est, in Dialectica tradere elenchos Sophisticos, vel fallacias quam in grammatica tradere vitia. Verum hic aliquis quærat, vnde ego sciam *an res aliqua possit præstare euictionem, id est, ostendere præcepta esse sua.* Respondeo, de hoc si dubitas, finem artis considera. Omnia artis præcepta debent esse directa ad finem vltimum consequendum,

in dia-

in dialectica ad bene disserendum. Iam si tradatur aliquod præceptum Dialecticum, quod ad illum finem non spectat, illud non est κατ' αὐτό. Quocirca Plinius alicubi recté existimat, *primum scriptoris officium esse titulum instituti operis sæpe legere, seque itentidem interrogare quid cæperit scribere*. Deniq; Horatius in arte poetica κατ' αὐτό nobis commendat.

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si velit, & varias inducere plumas,
Vndiq; collatis membris, vt turpiter atrum
Desinat in piscem, mulier formosa superne,
Spectatum admissi risum teneatis amici.
Credite Pisones isti tabula fore librum
Persimilem: cuius velut ægri somnia vana
Finguntur species, vt nec pes nec caput vni
Reddatur formæ, pictoribus atque Poetis: &c.

Et paulo post:

Deniq; sit quoduis simplex duntaxat & vnum.

Monet Horatius, res natura inter se conuenientes esse coniũgendas, aliena non immiscenda, ne corpus orationis monstrosum efficiatur, simili sumto a pictoria. Pictores enim vnius generis animantis vel corporis membra, apta quadam συμμετρία seu proportione conformant. Eadem lex nobis a Poeta repetitur, cum vetat nos.

Delphinum syluis appingere fluctibus aptum?
Et, Simulare cupressum
—id est, ex cupresso aliquid adiicere cum naufragium depingendum est
Item cum ait. Deniq; sit quod vis simplex dun-

taxat & vnum, id est, quicquid scribitur constet ex partibus, vel rebus natura conuenientibus. Sed bone Deus quam grauiter sæpeq; in hanc legem peccatum est.

Axioma καθ' αὑτὸ est, cuius partes inter se sunt essentiales, & quod artis, in qua exprimitur, proprium est.

Verum quam multa axiomata apud multos inuenies, quæ ab arte aliena sunt, vel certe πάρεργα. Vt, vulgo Grammaticen diuidunt in Methodicen & Historicen, Fabium credo sequuti. Lex iustitiæ καθ' αὑτὸ hanc diuisionẽ e Grammatica reiicit. Primũ enim methodus in docẽda Grammatica, forma quædã Grammaticæ est, nõ species. Deinde interpretatio auctorum, quæ tribuitur Historicæ, nõ tantũ Grammaticæ est, sed potissimum ex cognitione Poeseos, Historiarũ & Astrologiæ, & aliarum disciplinarum cõstat, & explicatio ista quodammodo effectũ Grammatices dici potest, species vel pars dici nõ potest. Etsi aũt interdum per synecdochen Grammaticus pro enarratore omnium scriptorum, præsertim eius linguæ, quam profitetur accipiatur, tamen proprie loquendo est emendati sermonis magister, *teste Camerario.* A quibusdam Rhetoricæ figuræ in Grammaticis docentur; in dialecticis doctrina nominis & verbi. In Physicis diuisiones causarum. Sed lex καθ' αὑτὸ Rhetorices figuras a Grammatica exterminat. Ex dialecticæ finibus doctrinam nominis, & verbi, eiicit. E physicis doctrinam causarum ad Dialecticam relegat.

Methodus est forma. Vide infra signum (!) 4. lin. 2 a fine.

OBIE-

OBIECTIONES CONtra II. Legem.

Principia sunt duplicia, *teste Aristotele lib.* 1. *cap.*8. Alia sunt *communia*, alia *Propria*. Communia, *quæ pluribus ac diuersis sciẽtiis accommodari possunt, vt totum est maius qualibet sua parte. Eidem æqualia inter se sunt æqualia.* Propria, *quæ certis scientiis inseruiunt & destinata sunt, vt in Ethicis; virtus consistit in mediocritate. In Iurisprudẽtia: nihil tam commodum est vitæ, quam seruare homines illa, quæ inter se pacti sunt. E. non omnium artium decreta ita possunt esse propria, vt ad vnicam artem tantum pertineant.* Respondeo, non valet consequentia. *Aristoteles enim vult quidẽ principia esse communia quod ad praxim & applicationem attinet: Totum est maius qualibet sua parte. Commune principium dicit, quia vsus huius principij diffunditur ad multas artes.* Hoc igitur tantum sequitur, *Ergo multa superiorum artium documenta generalia, possunt ad subalternas inferioresq; artes accommodari, vt hoc axioma logicum, contraria sunt inter se corruptiua, id est, mutuo se expellunt, applicatur etiam medicinæ, vnde medici dicunt; Axioma dialecticũ est, Si parium vnum tertio conuenit, & reliquo conueniet, Hoc mathematicis explicandis accommodatur, nec docetur ita generaliter in mathematicis, sed specialius: vt, si parium numerorum, &c. Si æqualium magnitudinum, &c. Sic Geometricum* θεώρημα*, vel* πρόβλημα *esse potest, cuius vsus cum Opticis, Astronomicis, Mechanicis communica-*

tur, aut quod etiam in his disciplinis specialibus adhibetur.

2. Artes sunt cognatæ & sororio vinculo copulatæ. E. nihil prohibet, quo minus alia ars ab alia interdũ præcepta mutuetur. Respõdeo, ad antecedens, *artes quidem inter se coniunctæ sunt vsu, sed tamen præceptis & doctrina distinctæ. Etsi interdum aliæ artium cum aliis communicantur, tamen præcepta neutiquam confundi debent. Manus quidem manum lauat sed tamen tua manus non est mea manus. Idem iudicium est de artibus. Cic. 2. de Orat. recte inuentionem & dispositionem prudenti viro tribuit, sed eloquentiam oratori, & tamen orator cum orationem habet, non tantum Rhetorica elocutione & pronuntiatione, sed & Dialectica inuentione & collatione vtitur.*

3. Nos pueri docebamur artes, easq; ad vsum aliquem vitæ bene solideq; accepimus, & tamen illæ leges καθόλου præsertim & καθ' αὑτὸ reiiciebantur. E. non necesse est, illas leges ad artes reformari.

4. Sic obiicit Brendenlius; *Materiæ artiũ communes sunt alia atq; alia ratione, vt lana atq; ferrum alio modo atq; alio a diuersis artificibus tractatur; ita etiam materia huius artis aliter in illa proponitur & consideratur. Sic causarum motusq; consideratio generatim ad logicam, speciatim & proprie ad Physicam, seu quatenus in naturalibus rebus spectantur. Sic iustitia ab Ethico & Physico consideratur. E. lex καθ' αὑτὸ de materiis cuilibet arti propriis assignandis, seruari nec debet nec potest.* Respondeo, ad antecedens, *artifices mechanici*

nici non sunt solliciti de origine ferri aut lanæ, non de caliditate aut frigiditate ferri, non de humiditate & siccitate lanæ, dicent, hæc ad nos non pertinent, sed specialis vsus lanæ aut ferri ad nos pertinet. Rhenus alio atq; alio modo vsurpatur & quidem aqua Rheni vsurpari potest in Germania, Italia & Gallia, & tamen Rhenus est fluuius proprius Germaniæ. Sic doctrina causarum varie adhiberi potest, & quidem in Physica, Jurisprudentia. Interim vero propria est Dialectica. Etsi vsus præceptorum ad multos artifices pertinet.

LEX III.

Quodlibet præceptum artis est καθόλου πρῶτον, *vt, catholicum vniuersale suo æquali iunctum, atq; ita summe necessarium.* Vult igitur hæc conditio, vt prædicatum non latius pateat subiecto, vt prædicatum & subiectũ æqualia sint & reciproca. Nam enuntiatum vniuersaliter primum est, cuius consequens antecedenti primo inest & conuertibiliter. Cum dico *hominẽ esse animal habens pulmonẽ, respirat*, animali primo attribuo respirationẽ, homini secũdo. Illa igitur propositio est καθόλου πρῶτον. Hæc autem non est talis, *Omnis homo respirat*, quia cum ea vniuersa non conuertuntur. Cum dico *Cato est capax rationis, capacitas rationis prædicatur de Catone, non primo sed mediate, propterea quod homo est.* Quare illa propositio est καθόλου seu mediata, sed hæc est immediata, *Homo est animal rationis particeps.* Iubet igitur hæc lex definitiones, & diuisiones in artibus, ita esse con-

ſtituẽdas, vt ſint terminorum conuertibilium, ſeu viciſſim retro commeent cum definitis, & diſtributis, monet proprias affectiones propriis & ſuis ſubiectis attribuendas, generalia generatim & ſemel, ſpecialia per ſpecies (*ſuo quæq; loco*) docenda, generi ſummo affectionẽ ſummam, medio mediam, infimo infimam coniungendam, generalia generalibus vocabulis ſignificanda & explicãda. Atq; ita hæc lex ταυτολογίαν & nugacem orationem improbat.

Exemplum tertiæ legis violatæ.

Sed legem ipſam exemplorum ſigillo obſignemus & teſtatiſſimam faciamus. Communes affectiones omnium vocum ſunt figuræ & ſpecies. Generaliter igitur & ſemel ante diuiſionẽ vocis ſeu partium orationis in Grammatica de iis præcipitur. Sic ſpecies vocum duplex eſt primitiua & deriuatiua, vt non neceſſe ſit ταυτολόγως dicere, *ſpecies verborum quot ſunt? ſpecies coniunctionum quot ſunt?* Numerus accidit omnibus flexibilibus vocibus, ſemel igitur præcipiendũ eſt, *Numerus vocis flexilis eſt vel ſingularis vel pluralis*, ſingularis, *vt ego Philoſophus deambulans diſputo*, pluralis *vt nos philoſophi deambulantes diſputamus*, vt tollatur iſta nugatio. In genere cuiusq; loci ſyllabæ cognoſci poſſunt poſitione & natura; hoc generaliter & ſemel monuiſſe in proſodia ſatis eſt, nec in mediis vel vltimis ſyllabis repetendum.

Dicat Grammaticus comparationẽ eſſe accidens nominum, ſic incurret in tertiã legem, quia ſpecialem affectionem tribuit generi. Generales

nerales tropi sunt 4, *Metaphora, metonymia, synecdoche & Ironia:* qui addunt *metalepsin, antonomasiam, allegoriam &* ὑπερβολὴν, *media genera* cum cæteris miscent, & accidentia troporum pro ipsis tropis accipiunt, quod legi καθόλου est aduersum. Definiat aliquis medicinam, *salubrium animali & homini scientiam*, coccysmus hic est, *id est, vana repetitio.* Vox enim *animalis* includit hominē, & homo excludit omne animal. Obseruandum tamen in hac lege tertia fuerit, *non necesse esse, vt omnia præcepta artium sint καθόλου πρῶτα, vniuersis partibus necessaria, seu reciproce vera, imo* ἀδύνατον *est. fere artes esse perfectas omnibusq; partibus expletas, si tantum contineant axiomata reciproca.* multa enim sunt in artibus consectaria, & regulæ inprimis necessariæ, quæ tamen non conuertuntur, etsi omiseris, peccaueris contra legem iustitiæ, quia arti non tribuis omne, quod suum est. Exempli causa *præcepta artium sunt & homogenea, nec tamen reciproca.* Grammaticæ. *Adiectiua studij regunt genitiuū, Adiectiuum partitiuum regit genitiuū. Si penultima syllaba circumflectitur, vltima breuis est.* Hic reciprocatio non valet; *Quicquid regit genitiuū est adiectiuum studij.* Dialecticæ. *Si veri contingentis enuntiati iudicium est, opinio est.* Hic nulla est inuersio. *Nam etsi falsi contingentis iudiciū opinio est. Ex puris negatiuis nihil sequitur.* Geometricæ. *Si magnitudines congruæ sunt, æquales sunt.*

OBIECTIONES CONtra III. legem.

1. *Idem est, de qualibet specie & de vniuerso genere demonstrare, vt si in etymologia Grammatica communes vocum affectiones de vnaquaq; vocis specie demonstrentur, seu per singula vocum genera iterentur, perinde est ac si generaliter & semel exponantur. Imo pueri infirmitati eo ipso consulitur, quod vtile præceptum tam sæpe inculcatur locis diuersis. E. lex tertia non est necessaria ad conformationem artium.* Respondeo, ad antecedens primum, *sit reipsa sane idem, aliquid vniuerse docere semel aut per species inculcare: at doctrinæ cõmodo idem non est, quia pluribus docebitur, quod vno doceri potest. Atq; ita iusta artium breuitas tolletur, vere quidem id docebit, sed non sapienter. Deinde repetitionibus istis obruitur puer & diutius iusto detinetur.*

2. *Omnis in iure definitio periculosa est, rarũq; est vt subueniri nõ possit. E. definitiones in doctrinis non esse possunt omnes* κατὰ παντὸς & καθόλου πρῶτον. Respõdeo, est elenchus ambigui. *Vlpia. enim intelligit per definitionẽ regulam, interprete etiam Accursio, non vero accurratã & logicam descriptionem, quales in iure proprie haberi possunt & debent.* Regulas autem non necesse esse partibus suis reciprocari antehac cõcessimus. Frequentissimum enim est, vt regula quæuis in prudentia pro varietate circumstantiarum in aliquo.

3. *Quod non approbatur ab Aristotele non est accipiendum pro dogmate Aristoteleo. Iste sensus, quem Ramus legibus Aristoteleis tribuit, non approbatur ab Aristotele. Hic enim eas de demõstrationibus tradidit, ille ad methodum in artibus ac-*

com-

commodauit, non ergo iste sensus accipiendus est pro dogmate Aristotelis. Respondeo, Aristotelē debuisse istas leges ad vniuersam artem, non ad demonstrationem tantum accommodare. Etsi enim materiā demonstrationis talē esse oportet, vt nimirum sit necessaria, propria & perpetua, tamen oportet eiusmodi etiam materiam esse rerum demonstratarum vt præceptorum artis. Iudicauit Aristoteles, peculiares cuiusq; totius disciplinæ sententias his legibus esse regendas. Iudicare igitur debuit, totam disciplinā legibus his regendam, quia si tales sunt partes, talis erit tota. Vt igitur medici non possunt reprehendi, quia cura & cogitatione aliquid inuenerunt, & feliciter addiderunt aliquid inuentis Galeni; sic & Ramus.

Generalissimū præceptum nominatur, *quod natura notius est, id est, quod claritate & notitia sua primum est, nec aliunde lucem & notitiam sumit, sed aliis nempe sequentibus specialioribus claritatem & lucem quasi præfert ac largitur.* Subalterna autem sunt, *interiecta seu intermedia inter generalissimum & specialissimum præceptum, ideoq; a superioribus lucem semper assumunt, & inferioribus communicant.* Specialissima sunt illa, *quæ a proximis superioribus illuminantur quidem & claritatem accipiunt, verum aliis vicissim non largiuntur.*

Hactenus de materia artium, sequitur

DE FORMA.

Lex de forma artis, id est, de methodo vnica est.

Natura prius præcedat, posterius se-

quatur, *id est, a generalibus ad specialia ars progrediatur, vt a causis ad effecta, a fine ad media, a communibus ad propria, a simplicibus ad confusa seu composita, a subiectis ad adiuncta, a finitis ad infinita, id est, a regulis ad exempla.* Hæc lex est intelligentiæ & memoriæ, & probatur his syllogismis.

1. *Quod potest intelligi per se sine alterius intelligentia, præcedere debet. Doctrina generalium potest intelligi sine doctrina specialium, non contra. E. generalia in methodica alicuius rei tractatione præcedent, specialia sequentur.*

2. *Simpliciora præmitti debent iis, quæ inde sunt composita, ac essentiam suam acceperunt. Vniuersalia sunt simpliciora, quæ (vt Aristoteles inquit) insunt pluribus & multis, communia sunt, & continent specialium ac singularium communes causas, vt vox inest in oratione & causa orationis est: termini insunt syllogismo & causa sunt syllogismi. E. ab vniuersalibus methodus progredi debet ad particularia.*

3. *Quicquid aliud illustrat & definit, clarius est. Species definitur & illustratur genere. E. genus est clarius & illustrius specie. Clariora autem priori loco tradenda sunt. E. & generalia.*

4. *Cum vita hominis breuis & anceps sit, artesq́ multæ, via vtendum est copiosa, & dispendia cauenda in docendo & discendo in tractatione generatim maximo cum compendio, quæ alioqui in singularibus speciebus dispendiose iteranda fuissent. E. a generalioribus ad specialia progrediendum, nec specialia præcepta generalibus præponenda.*

5. A.

5. *Ars est æmula naturæ. Natura progreditur a genere ad speciem. E. & prius fabricauit generalia quam specialia præcepta. Assumtionē probo. Nam infans in vtero prius est animal quam homo. Tum enim primum homo est, cum accedit anima rationalis, teste Aristotele.*

6. *Ab inferioribus, vt quæ difficiliora sunt, incipere stultum est. At vir methodicus stultus non est, sed sapiens. E. non incipit ab inferioribus, sed a superioribus, id est, non a singularibus sed a generalibus, vt quæ faciliora sunt.* Requiris probationem propositionis, eam mihi probat celebris iste principis Friderici fatuus Nicolaus, qui iussus a coquis ligna afferre, solitus est infima primum extrahere & non suprema. Interrogatus, cur id faceret magno cum labore, cum superiora nullo cum negotio tollere posset, respondit se facilimam laboris partem exantlare velle. Ibi ordo conueniens in labore non fuit seruatus. Non enim fatuus ille animaduertit, quantum interesset singula ordine tollere, nec vidit inferiora ligna superiorum amotione indigere. His syllogismis confirmationis loco addantur testimonia. Aristoteles *lib.* 1. *de part. cap.* 4. inquit. *Necesse est aut vniuersalia prius dicere, aut sæpius idem repetere.* Idem 1. *cap.* 3. *Phys. Posterior est de propriis consideratio, consideratione de communibus.* Idem *de partib. animal. lib.* 1. *secundum naturam est communia prius dicere. Deinde de singulis propria considerare. Jureconsultus Paulus, Quibusque primis proxima copulata recte præcedunt.*

Probatum est hactenus, generalia præcepta esse priora, specialia vero posteriora. Iam aliquis quærat, *si multa habeam generalia præcepta, quod eorum primo loco collocabo, quod secundo, tertio, quarto, &c.* Respõdeo, Generalitatis sunt gradus, generalissimum igitur summo loco, subalterna medio, specialissima infimo loco collocanda. In artibus autem generalissimum est definitio: Subalterna sunt distributiones & partiũ proprietatumq; explicationes. Specialissima sunt exempla. Quare artium informatio consistit in definiendo, partiendo, proprietates & affectiones tradendo, diuidendo, partiendo, partes & species & proprietates explicando, per exempla illustrando. Attamen in superioribus disciplinis in Geometria, Theologia, Ethica, Physica adhibetur aliquando syllogismus & demonstratio, qua enuntiata probentur. Pręcepta autem artium puerilium præstat cõformare sine assertione syllogistica. Illa enim sumi vt iudicata æstimataq; satis debent, breuiaq; esse conuenit tanquam aphorismos, vt memoriæ firmiter inhærere possint. Sed age totam rem declaremus exemplis. Grammatica *hanc legem æmulata incipit a generalibus & simplicioribus, progrediendo a literis ad syllabas, a syllabis ad dictiones, a dictionibus ad orationes.* Ad præscriptum huius legis composita est Dialectica, *quæ orditur a simplicibus, scilicet a terminis ad composita, hoc est, ad enuntiationes, quæ constituuntur ex terminis duobus, ab enuntiationibus ad syllogismos, qui conficiũtur ex tribus terminis, a syllogismis ad methodum,*

hoc

hoc est, variorum enuntiatorum legitimam dispositionem. Hanc viam ingreditur Physica, *quæ incipiens ab elementis seu principiis rerum descendit ad commixta seu concreta corpora.* Hac via insistit Theologia, *quæ a primo ente & causa omniũ rerum Deo, peruenit ad creaturas tanquam effecta.* Hanc viam ingredientur compositores iuris. *test. Cic. 1. de Orat. Constituto enim fine iuris ciuilis, videlicet conseruatione æqualitatis, in rebus & causis ciuium, notanda sunt genera & ad certũ numerũ paucitatemq; reuocanda. Generibus subiiciantur partes, tum omnia, quæ sunt generũ vel partium nomina, definitionibus, quæ vim habeant, exprimenda & his rebus exempla adiungenda sunt.* Verba Ciceronis paulo post etiã eiusmodi sequuntur. *Si autem mihi facere licuerit, quod iam diu cogito, aut alius quispiam, aut me impedito occupauerit, aut mortuo effecerit, vt primum ius ciuile in genera dirigat, quæ perpauca sunt; deinde eorum generum quasi quædam membra dispertiat, tum propriã cuiusq; vim definitione declaret, perfectam artem iuris ciuilis habebitis magis magnã & vberem, quam difficilem & obscuram.* Hac via & ratione conscriptus est computus seu calendarium Astronomicum, *hoc enim primum definitur, vt obiectum eius doctrinæ, quod sequentia in se continet, vt toti insunt partes. Sequuntur partes ipsæ temporis vt horæ, dies, hebdoades, menses, quatuor anni tempora, quæ singula definiuntur & diuiduntur.* Verum contra hanc legem obiiciuntur varia, de quibus etsi in disputationibus agatur, quædam tamen hic attingemus.

OBIECTIONES CONTRA methodi legem.

1. *In scholis tritum est, varias constituere methodos, definitiuã, diuisiuam, arbitrariã, &c. Non igitur est vnica.* Respondeo. Qui definitiuam & diuisiuam methodos cõstituunt, diuersas a nostra, quam tradidimus modo, confundunt ordinem cum ipsis instrumentis, seu cum materia, quæ disponenda est. Nam neq; definitio neq; diuisio methodus est, sed instrumentum & materia dispositionis. Quod attinet ad arbitrariam methodum, respondeo illam nõ habere locum in conformandis artibus, sed in re quapiam singulari. Nos autẽ hic loquimur de methodo informandæ integræ scientiæ, non de partis alicuius ordine, qui interdum prudentiæ est.

2. *Ab iis, quæ rudioribus sunt notiora, incipiendum est. Sensilia seu specialia, quia prius accedunt ad sensum, sunt rudioribus notiora. E. a sensilibus est incipiendum.* Nego maiorẽ propositionem, quia cum intellectus noster percipiat artes, incipiẽdum est ab intellectu notioribus, vt a causis & elementis, quæ sunt a sensu remotiora. At declaratio ab indiuiduis sensilibus est petenda.

3. *Via inueniendi est multiplex, via enuntiandi similiter, via concludendi similiter multiplex est. E. & via doctrinæ seu methodus est multiplex.* Respondeo, Est fallacia consequentis, etsi enim materiæ subiecta est, & instrumenta possunt esse multiplicia, tamen forma rei est vnica, quatenus res non est monstrosa. Sic methodus singularis

gularis & vnica eſt, etſi deſtinata ad eam multa ſint.

4. *Ariſtoteles lib.4. cap. 1. diſputaturus contra Idæas in metaphyſicis ait, A ſenſibilibus & in materia poſitis incipiendum eſt: iam ſingularia ſunt ſenſilia & in materia poſita. E. a ſingularibus & ſpecialibus artes ſunt incipiendæ.* Reſpondeo, ad locum Ariſtotelis, eum non loqui de vniuerſæ artis ordinatione, ſed de inductione ſingulorum ad vniuerſale declarandum. Methodus informandæ integræ artis ſeu ſcientiæ vnica eſt, ſed partis alicuius ordo interdum, vt prudentiæ, eſt iudicij doctoris. Geometriæ corpus totum a generalibus procedit, etſi aliquando in ſingularum propoſitionum demonſtratione fit ſecus.

Argumentum Carpentarij.

5. *Si alia eſt artis inuentio, alia collocatio, duæ ſunt methodi, altera inuentionis, altera diſpoſitionis, ſed primum verum, conſequens ergo.* Reſpondeo, nos non dicere, vnicam eſſe methodum abſolute, ſed artis collocandæ exercendæ, vnicam & ſingularem methodum eſſe docemus, cum iam artis materies inuēta eſt, ſigillatim iudicanda eſt. Non enim quæritur hic de inuentione artium, ſed earum iam inuentarum & diiudicatarum methodica diſpoſitione.

6. *Duæ ſunt exercitationis logicæ partes* ἀνάλυσις *&* γένεσις, *quæ ſunt contrariæ. Contraria autem vno methodo comprehendi non poſſunt. Igitur ſunt methodi, altera conſtruendæ artis, altera deſtruendæ & retexendæ.* Neganda eſt propoſitio. nam vna

& eadem methodo & in ἀνάλυσει & in γενέσει vtimur, descendimus ea methodo scilicet a summo per media ad infima, qua methodo artes ipsæ dispositæ & collocatæ sunt, eadem omnia methodus seruat, dum ipsæ in propositis exemplis retexũtur. Nam in Physicorum & Iurisperitorum scholis tritum est hoc, Naturale est, vnumquodq; eo modo, quo fuit colligatum, dissolui, & in id redire vnde natum est.

7. *Carpentarius interrogat Ramum, qua nam methodo sit expositurus Physicam, ac ipse respondet, illum a materia & forma ad Physicum corpus iturum, hæc autem est γένεσις, deinde distributurum in species, hæc autem est ἀνάλυσις. E. Physica duas habet methodos, compositiuã & ἀναλυτικὴν.* Respondeo, Non valet consequentia, nam etsi corpus Physicum initio definiat, & deinde distribuat in materiam & formam, tum diuidat in speciem, tamen erit progressio totius artis a generalibus & communibus ad specialia, & ita methodus Physicæ vnica. Corporis enim Physici definitio generalior erit, & in eodem ipso loco distributio in partes ordinem nihil mutabit, non magis quam si dicas, *præposito definito ante definitionem ἀνάλυσιν mutari.* Forma enim partium ex vniuerso opere seu ex totius corporis habitu spectanda est, non ex vnguiculo aliquo definienda. Sed hic finis commentationis nostræ est de materia & forma artiũ, cuius vt nos recolligamus, summa hæc fuit, *præcepta artium debent esse necessario vera, iuste tributa, sapienter atq; apte collocata informataq;.*

DE

DE FINE.

Finis, cur efficiens in materiam artificiosam inducat, est instauratio & quodammodo perfectio naturæ seu animi humani, quam sequitur felicitas in cognitione & celebratione consistens.

DE EFFECTO.

Effectum igitur harum causarũ præcipueq; materiæ artificiose institutę & formæ, est scientia & ars. Ars est *collectio præceptorum certo verorum & propriorum, methodice informatorum seu est præceptorum legitimorum methodica comprehensio.*

Artium diuisio.

Artes sunt προπαιδείας vel παιδείας.

Προπαιδεία est præparatio ad scientiam. Tradit enim modum tractandi aliquid.

Estq; Logica vel Mathesis.

Logica est Rationis vel Orationis ars.

Rationis Dialectica.

Orationis quidem vel Nudæ simplicis puræ Grammatica: vel Ornatæ Rhetorica.

Mathesis agit de quantitate.

Estq; Arithmetica vel Geometrica, illa quãtitatem disiunctam, *hoc est numeros*, hæc vero quantitatem continuam, *hoc est, magnitudines & spatia* tractat. Hinc deinceps efflorescunt omnes illæ artes, quæ manibus tractãtur. Vulgus mathesi etiam subiicit Astrologiam & Musicã. Verũ cum Astrologia agat de corporibus cœlestibus, Musica vero de sonis, rectius videntur subiici Physicæ.

παιδεία est ipsa eruditio & sapientia & philosophia κατ' ἐξοχὴν.

Estq; Generalis vel Specialis.

Generalis est Physica vel Ethica.

Physica res omnes, quæ sua natura constant, explicat.

Illę res sunt Deus vel Mundus: in mundo sunt Spiritus & Corpus, seu res incorporeę & corporeę, quanquã homo mixtũ genus est, vt quis cõstet natura partim spirituali, partim corporea.

Physicæ igitur subiiciuntur Cosmographia, Astronomia, Meteorologia, Geographia, λωοχραφία, Optica, Musica, e quibus plerę q; mathesi tanquam famula & organo vtuntur.

Ethica est doctrina conformandi mores ad bene beateq; viuendum, & salutem ac felicitatem magis vnius spectat.

Illa Ethica dicitur in specie alias Monastica. Hæc vero est Oeconomica & Politica.

Oeconomica administrat familiã, quæ quasi, parua politia est & fundamentũ politiæ. Politia vel vniuersi generis humani societatem, vel solum ciuitatis alicuius spectat. Hinc efflorescit Iurisprudẽtia, quemadmodum ex Physica Medicina, ex Ethica Theologia.

De παιδεία speciali.

Hæc consistit in Historia & Poesi. Hic enim exemplaris constitutio est.

Vtraq; enim exemplis, cum alias omnes philosophiæ partes, tum in primis generalem istam philosophiam illustrat. Et Historia quidem exemplis veris; Poesis vero fictis etiam & fabulosis.

Hactenus de artium dispositione, & ita de prolegomenis.

PARTI-

PARTITIONVM DIALECTICARVM

M. RODOLPHI GOclenij Professoris Academici.

LIBER I.

DE DEFINITIONE ET PARtitione potissimum. CAP. I.

DIALECTICA est ars bene disserendi.

Differendi, hoc est, *docendi & dicendi*. Si Cic. ad Trebatium in top. *Dicendi, disserendive rationem*, & Philippus ex secũdo Cic. de legibus *artem docendi* definit. & Ramus in 2. cap. lib. 1. metaphysicorum, *Logica*, inquit, *est ars differendi, ideoq; etiam docendi*. Neq; logica est tantum omnium artium διδασκαλικωτάτη, sed sola est διδαγματικὴ. Nam si quid doceat Grãmaticus, Rhetor, Mathematicus, non suo, sed logici artificio doceret.

Definitio nominis.

Dialectica dicitur ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι, quod est voce speciatim accepta colloqui cum alio collatis sententiis: generatim vero ratione vti, λόγῳ χρῆσθαι. Quod fit *explicando, declarando, probando, approbando, amplificando, verum ac falsum disce-*

ptando, methodice ſingula tractando, ſuadēdo, laudando, accuſando, defendendo.

Dicitur & *Logica* ἀπὸ τοῦ λόγου, quia eſt ars rationis & ſapientiæ. Tam late patet enim vis Dialecticæ atque facultas, quam late ſe extendit vſus humanæ intelligentiæ.

De ſubiecto ſeu ſubiecta materia Dialectica.

Id quod diſſeritur, ſeu diſſerendo tractatur, hoc Caput, Propoſitum, ſeu Thema dicitur, quod & *Quæſtio* dici ſolet.

Ea de quolibet eſſe poteſt, non ſolum de ente, ſed etiam de non ente.

Eſt enim Dialectica, *inſtrumentum omnium rerum, ars artium, organum organorum, manus Philoſophiæ*, & verſatur circa *quamlibet materiā.* Non quod res naſcātur in Dialectica, ſed quod hæc modum tractandi eas doceat, qui Ariſtoteleis eſt τρόπος ἐπιστήμης & διδασκαλίας. Dialectica igitur *nullius eſt definiti generis, non eſt alicuius definitæ rei ſcientia, non habet artis ſuæ vim Dialecticus in aliquo certo rerum genere.*

Thema eſt Simplicis rei, *vulgo, Quæſtio ſimplex*, vt *fides*: *vel* Sentētię, *vulgo quæſtio coniuncta*, vt *fides eſt ſpiritus ſancti donum Barbari vocant Complexum.*

Partes Dialecticæ duæ ſunt, Inuentio & Diſpoſitio.

Poſte-

Posterior etiã *iudicium* dicitur, quod *plus habeat iudicij*. Alioquin enim omnium artiũ præcepta sunt regulæ iudicij, sicut docet Plato *in Dialect. de sepulcro & Aristoteles* 1. *Top.* 8.

Inuentionem & dispositionem nominatim proponit etsi tertiam præterea partẽ addit, *Dictionẽ scil.* quæ pars redundat, cum ea sit Grãmaticæ vel Rhetoricæ. Et Cic. *Omnis*, ait, *diligens disserendi ratio duas habet partes*, vnam *inueniendi*, alteram *iudicandi*. Quintil. lib. 5. *Dialectici sibi inueniendi & iudicãdi attribuunt partes, quarum illam τοπικὴν, hanc κριτικὴν appellãt.* Et Phil. in 4. lib. *Vetus diuisio hæc est, alia pars dialecticæ est iudicatrix, alia inuentrix. Hæc vocatur τοπικὴ, id est, doctrina locorum, qui sunt veluti indices rerum inuestigandarum vel eligendarum.*

Non recte dicuntur partes dialecticæ, *definitio, diuisio & argumentatio*, quia *non omnem dialecticæ vim complectuntur*, etsi non negem frequentissimum & maximum vsum disserendi in his consistere.

DE ARGVMENTI DEFINITIONE & diuisione. CAP. II.

Inuentio est pars prior dialecticę, res ex propositis ipsarum generibus inueniens & cogitans. Estq; Generalis *ac logica magis*, vel Specialis *& magis propria artium.*

Generalis inuentio est argumentorum excogitatio.

Hæc & sic informari possunt.

Inuentio est prior pars dialecticæ, monstrans domicilia, ex quibus materia proposita depromitur.

Domicilia illa sunt Loci, vel Categoriæ.

Locus est argumenti sedes, seu index, monstrans, ex quo fonte sumendum sit argumentum.

Argumentum est, quod ad arguendum aliquid accommodatū est. *Quales sunt singulæ rationes solæ & per se consideratæ.*

Arguere est rem declarare, vel demonstrare.

Declarare est explicare naturam rei simplicis, *vt ignis vrit.*

Hæc argumenta vsitatius in scholis dicuntur termini & κατηγορήματα.

Demonstrare est confirmare vel refutare sententiam, *vt ignis vrit, quia calidus.*

Hæc argumenti vox vsitatior & magis propria fortasse est. Ideo a Cic. definitur, *ratio rei dubiæ faciens fidem.* Vnde & Aristoteli πίστις dicitur, id est, *fides* per metonymiam. Alias & *probatio* & *medium* dicitur.

In omnibus autem argumentis mutua est quædam duorum affectio, *hoc est*, duæ res vt genus & species conferuntur, siue distinctis nominibus siue tandem intellectis, quarum semper

per

per *vna* propoſita eſt: *altera* autem collatione inuenitur.

At licet omnia argumenta mutua relatione contineantur, poſſunt tamẽ nihilominus ſeorſim ſeparatimq; & ſolitarie conſiderari extra complexum, *id eſt*, non coniunctè in aliquam ſententiam.

Argumentum eſt artificiale, *ſeu inſitum*, *ſeu aſſumtum*: vel inartificiale, *remotum ab arte*.

Sic Ariſtoteles ait, *argumentum artificiale per nos ſeu noſtra induſtria inueniri*. Et Cic. definit *inſitum eſſe, quod in re ipſa*, id eſt, quæſtioni *inhæret*. Eruitur autem, ſi ſententia ſit propoſita e quæſtionis parte *vel* antecedente *vel* conſequente.

Artificiale ſeu inſitum, quod ex ſe arguit.

Eſtq; Primi ordinis, vel Secundi. *Alij ſic, Primum vel a primo ortum.*

Primum eſt Simplex, vel Comparatum. (*Primum quod eſt ſuæ originis.*)

Simplex, quod ſimplicis conſiderationis eſt. (*Quod ſimpliciter & abſolute conſideratur.*

Eſtq; Conſentaneum vel Diſſentaneum.

Quanquam relata videntur eſſe mixti generis.

Conſentaneum eſt, quod cum re conſentit, *quam arguit.*

Vel abſolute, Vel modo quodam.

Abſolute vt cauſa & effectum, *totum & partes.*

Argumentum

Artificiale | Inartificiale

Primum | A primo ortum

Simplex | Comparatum

Conſentaneum | Diſſentaneum

Abſolute | Modo quodam.

DE CAVSA EFFICIENTE.

CAP. III.

Cauſa eſt, cuius vi res efficitur.

Primus autem hic locus eſt, non definitionis, aut diuiſionis, quia cauſis nihil prius & notius, & ea primis quibuſdam & notioribus definitur ac diuiditur.

Cauſæ ſunt Aut efficiens & materia: Aut Forma & finis.

Hic ordo naturalis. Nam ſi rei effectæ finis exſtiterit, neceſſe eſt efficientem materiam & formam præceſſiſſe. Efficiens autem in materiam agit, & ex ea educit, vel in eam inducit formam.

Contra vero (*vt inquit Ariſtoteles lib. 6. metaphyſ.) tum vnumquodq; maxime nos exiſtimamus ſcire, cum quid ſit res, cognitũ habemus.* E. definitio *eſt fons omnis ſcientiæ, & per conſequens,* *Defini-*

Definitio erit primus inuentionis locus. Respondeo; Aristoteles non repugnat sibiipsi. nam 2. *post. cap.* 3. *lib.* 1. post. asserit, *tum vere proprieq; nos scire, cum rei proprias causas scimus. Iam vero qui nescit definitionem propriam, accuratā & perspicuam cōstare ex causis essentialibus? Quare qui quid sit homo? quid ignis? tenet, causas hominis & ignis proprias tenet.*

Porro ex his causis Exteriores sunt efficiens & finis, *quæ sunt extra id quod fiunt:* Interiores, materia & forma, *quæ ita constituunt rem, vt sint eius essentiales partes.*

DIVISIONES EFFICIENTIS.

Prima efficientis diuisio hæc est.

Efficiens est Procreans & Conseruans: vel Impediens & Corrumpens, *quæ duæ sunt prioribus contrariæ.*

Aristoteles dicit illas *causas generationis*: has vero *essentiæ.* Quæ diuisio non est logica, quia membra sunt aduersa. Nam causæ essentiæ materia & forma, etiam sunt causæ γενέσεως & generationis.

Procreans est, quæ prima rem efficit, seu a quo primo fit motus, seu est principium motus, a quo aliquid fit primum; Barbari *primitiuum* vocant. Sic *sol procreat lucem, spes desiderantiam seu temperantiam, spiritus sanctus fidem.* Sic *Romanæ vrbis causa procreans fuit Romulus, reges deinde reli-*

qui, consules & imperatores tutores & conseruatores fuere. Amoris causa procreans & conseruans est otium, Ouid.4. Remed. Mater & pater procreant sobolem, nutrix tuetur 4. Æneid.

CANON.

Si procreans sit, res effici potest; & contra. *Cic. Phil. 2. culpam ciuilis belli in Antonium confert, arguens eum fuisse causam procreantem; Vt,* inquit, *in seminibus causa arborum & stirpium est, sic huius luctuosissimi belli tu fuisti.*

Conseruans, quæ rem procreatam tuetur, vt *temperantia conseruat statum valetudinis, leges & Magistratus, Rempub. Deus sibi fidentes, sartor reficit vestem, lectio amplificat eruditionem.*

CANON.

Posita causa conseruante, res salua esse potest; & contra, *vt si Dominus custodierit ciuitatem, salua erit, sin minus peribit. Argumentum a causa conseruante Esaiæ 43. Ne timeas Israelita quia adsum tibi.*

OBSERVATIO.

Sæpe vna eademq; res & procreans & conseruans causa est, *vt gloria iisdem rebus & paratur & conseruatur. Vid. Cic. 2. off. Sic Deus mundi & procreator & conseruator est.*

Impediens est, quæ facit, ne res procreetur. Argumentũ impedientis causæ nauigationem est apud Virg. vbi ait, *Magna-*

Magnanime Ænea, non si mihi Iupiter auctor
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cœlo.
Mutati transuersa fremunt & vespere ab atro
Consurgunt venti, atq; in nubem cogitur aer.

Corrumpens est, quæ rei labem vel interitum affert, *vt otia corrumpunt corpus. Discordia ciuium est causa Rerumpubl. corrumpens.*

II. DIVISIO EFFICIENTIVM.

Efficiens est solitaria, seu absoluta, vulgo totalis, & κατ᾽ ἐξοχὴν αἰτία: Vel cōficiens, seu συναιτίας, id est, *cum causa*, vulgo partialis.

Absoluta seu sola est, quæ sine alterius cooperantis opere efficit, *vt Christus solus patri nos reconciliat. Solius Christi fiducia seruamur. Deus mundum ex nihilo creauit.*

CANON.

Si sola causa faciat res exsistit, & contra, *vt si sol est euectus supra Horizontem, dies erit, si minus non erit.*

Conficiens est, quæ agit cum aliis, seu cooperans est, quæ sola nil potest. *Sic mater causa procreationis prolis. Natura arsq; faciunt poetam.*

Quod si conficientes seu cooperātes omnes coniungantur, dicuntur *totales.*

Quæ sunt copulatæ, Vel *essentialiter* necessarioq;, vt *Mas & fœmina sunt causæ totales pro-*

creationis essentialiter ordinatæ. Contrarius locus est in Ethicis, vbi dicit patrem & matrem esse partiales causas procreationis, Conciliatio autem eiusmodi constitui potest: Pater & mater sunt totales causæ scilicet coniunctim, pater & mater sunt partiales causæ scilicet seorsim considerati. Totales in sensu coniuncto, partiales in sensu diuiso. Vel contingenter vel *accidentaliter*, vt *cum duo equi simul trahunt currum, cum vnus efficere posset.*

Causa conficiens cum aliis est Princeps vel Minus princeps, *vt gubernator princeps est causa nauigationis. Nautæ & remiges minus principales, id est, ministræ.*

Principalis est, quæ plus agit, *vt in Virgil. plus agit natura ad poesin inclinans quam prosodia. Etenim composuisse pedes non est fecisse poema.*

Minus princeps est, quæ adiuuat principalem. Illa gubernat actionem, hæc administra quædam est illius, *vt disciplina est causa adiuuans virtutis.* Huic subiiciatur *causa instrumentalis*, per quam potiores causæ sunt efficaces. Instrumēta enim non mouent seipsa, sed mouentur ab aliis. Sic *causæ secundæ, id est, res naturales sunt instrumenta causæ primæ, id est, Dei, cuius actionibus subseruiunt. Item ἀφορμή, id est, occasio.* Huc referendæ sunt & hæ diuisiones Philippicæ.

Conficientium alia est, Propinqua alia Remota (*quanquam hac materiæ etiam conuenit.*)

Pro-

Propinqua eſt, quæ propior eſt effectui. Remota contra, *vt Rodolphi Imperatoris propinqua cauſa eſt pater Maximilianus, remota auus Ferdinandus. Et quidem hic remota cauſa eſt cauſa propinquæ proxima.*

R E G V L A.

Quicquid eſt cauſa cauſæ, etiam eſt cauſa cauti, id eſt, effecti, *vt ſi meus auus eſt cauſa patris mei, eſt etiam cauſa mei. Item Cic. in 9. Phil. an occiderit Antonium Sulpitius, cum dederit cauſam morti eius? Et iuriſconſulti aiunt, qui occaſionem damni præſtat, damnum feciſſe videtur.*

Conficientium alia eſt, Mota (*apud medicos*) *quæ interdum* προηγουμένη: alia Impultrix, *quæ interdum* προκαταρκτικὴ, id eſt, irritatrix.

Mota eſt, quæ ab impultrice irritatur, vt *voluntas non agit, niſi obiectum a mente monſtratum eſt.*

Impultrix, quæ aliam impellit, quæ mouet agentem, vt *affectus, obiecta, meritum, lex. In Iulio Cæſare cauſa belli ciuilis* προηγουμένη, *id eſt, antecedens fuit cupiditas principatus, ſed* προκαταρκτικὴ, *id eſt impultrix fuit præreptio cõſulatus facta a Pompeio. Amor eſt* αἴτιον προηγούμενον *ſtupri, vinum & tenebræ* προκαταρκτικόν. Solent autem προηγούμεναι, id eſt, antecedentes eſſe principaliores effectuum cauſæ.

Conficientium quædam ſunt Vni-

uersales, quædã Particulares. Vniuersales sunt multorum effectorum communes, vel quæ sunt, quæ in multa agunt, *Quales sunt Deus, cœlum, motus cœlestis, vis luminis, astrorumq́ʒ.*

Particulares sunt proprie singulorũ effectorum: vel quæ in singula, aut pauca agunt. Illæ sunt superiores, hæ inferiores. Illæ fere sunt remotiores, hæ vero propiores. *Aristotelis 2. Phys. Sol & homo generant hominem, Sol tanquam causa vniuersalis, homo tanquam particularis. Astrologi causam vniuersalem morbi alicuius quærunt in astris, Medici causam particularem morbi quærunt in humoribus.*

REGVLA.

Vniuersales causæ sæpe sunt potẽtiores particularibus, *vt Carthaginenses non possunt impedire, quo minus imperio Romani fungantur. Fatum enim nec ignis nec ferreus murus arcere potest. Vniuersalis aeris corruptio & contagium plus possunt tempore pestis quam temperamenta.*

Reliquas subdiuisiones omitto, quia vel specialiores sunt, vel in superiores cadunt.

III. *EFFICIENTIVM diuisio.*

Efficiens Per se est, vel per Accidens.

Con-

Contra. *Causæ per accidens vi nihil efficitur, ideo non est causa, vel causæ definitio est vitiosa.* Respondeo. *In definitione causæ sunt omnia verba intelligenda generaliter, causa nimirum de vero & quasi causa, & vis accipienda est non solum de insita, sed etiam externa.*

Efficiens per se, quæ insita & sua vi & facultate facit, *vt natura & voluntas, quæ natura & consilio faciunt.*

Est igitur Naturalis, vel Voluntaria, *quanquam & mixta est.*

Naturalis, quæ vi vel instinctu naturæ agit sine deliberatione & προαιρέσει. Hinc Aristot. Phys. 2. Naturam *principium* vocat *eiusmodi, in quo inest per se, vt aqua humectat sua natura, vinum calefacit suo temperamento, Oculus apertus & sanus non potest non videre, Vrtica non potest non vrere.* Naturalis est efficientia ventorum. Sic fames est naturalis appetitio cibi, & potus sitis. Sic affectus ira, odium, lætitia, sunt naturales. Grauia tendunt deorsum, leuia sursum. Dicitur & hæc causa quandoq; *necessaria*, quia *naturæ ordo immotus & æternus est, ignis vrit necessitate immutabili, quæ physica dicitur.*

CANON.

Positis causis naturalibus sufficientibus & non impeditis, si sit admota materia, sequitur effectus, necessitate physica & contra, *vt si oculus bene affectus sit vides quidem præsens obiectũ, sin minus non vides.*

CONSECTARIA DVO.

Naturales causæ actiones suspendere non possunt, admoto obiecto in quod agant, *vt si ventriculus amplectitur cibum, non potest eum non conuertere in chylum.*

Naturalis causa vno eodemq; agit modo, etiamsi in diuersis subiectis videantur dissimiles effectus, *vt vini effectus per se est vniusmodi, etsi hoc per accidens propter diuersa potantium temperamenta dispares effectus producit.*

Voluntaria, quæ ratione & consilio efficit, *vt faber domum:* vt Deus in tempore creauit mundum, eumq; liberrima voluntate regit & administrat. Satanas & primus homo liberrima voluntate a Deo declinarunt.

CANON.

Si voluntas sit, effectum sequi potest, etiam contra. *Virg.* 1. *Æneid.*

—— *Ponuntq; ferocia Pœni*
Corda volente Deo, scilicet Mercurio

REGVLA.

Voluntaria potest actionem suspendere, cessare & agere dissimiliter, *vt faber potest domum exstruere aut non exstruere, & cessare admota lignorum materia.* Non igitur valet consequentia. *Deus fuit ab æterno. E. & mundus. Voluntas Dauidis fuit hactenus iusta. Erunt igitur omnes eius actiones iustæ. Deus non potest mentiri, iniustus esse, factum infectum reddere E. non est omnipotens. Respondeo, non sequitur, quia non vult. Et posse*

posse mentiri magis est impotentia, quam potentia.

Mixti generis efficiens partim Naturalis est, partim Voluntaria, *vt nos peccamus partim vitiositate naturæ, quæ nos incitat, partim voluntate.* Aristoteles, *homines voluntarie mali sunt.* Medea inquit,

Video meliora proboq́ue,
Deteriora sequor,
Sed trahit inuitam noua vis, aliudq́ue cupido.

Deus benefacit & voluntarie & naturaliter, atque ita necessitate immutabili, quia & liberrime & immutabiliter bonus est.

IIII. *EFFICIENTIVM diuisio.*

Efficiens per accidens est, quæ externa & aduentitia vi efficit. Estque Fortuita, diciturq; Aristoteli in Physs. fortuna; vel Coacta, *dicitur quoque necessitas coniunctionis.*

Non omnis necessitas est causa per accidens, sed tantum violēta, cum aliquis vi cogitur. Causa autem cogens est causa per se: Fortuna est causa per accidens, quando præter efficientis scopum aliquid accidit.

Causa fortuita est, quæ in occulta & obscura efficit. *Seu,* Cui accidit euentus, nec intentus, nec ordinatus, qui reuera habet aliam causam, quamuis ob-

ſcuram & occultam, *vt puteum fodiens eſt cauſa fortuita reperti theſauri.* Ouid. *Argumentum antecedit; Caſus vbiq; valet, ſemper tibi pendeat hamus.*

Omnia effecta habent proprias & per ſe cauſas E. *nulla eſt cauſa fortuita.* Reſpondeo, *ad antecedens, Omnium quidem rerum per ſe eſſe cauſas certas, ſed interim multarum eſſe ignotas menti humanæ. Quia igitur veras cauſas interdum ignoramus, fortuitam nominamus, quam tamen ad cauſas per ſe reducendam meminerimus.*

CANON.

Fortuna ſæpe accipitur pro cauſa per ſe, ſæpe etiam pro effecto ſeu euentu fortuito, hoc eſt, eo quod præter efficientis ſcopum accidit, *vt Virgil.*

Me pulſum patria, pelagiq; extrema ſequentem,
Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum
His poſuere locis.

Hic ponitur fortuna, *pro numine.* Item. *Hæc fortuna fuit,* id eſt, *euentus ſeu caſus fortuitus.*

Cauſam per accidens Ariſtotelici generalius accipiũt quam Ramus. Nam illis cauſa per accidens eſt, quæ per ſe cauſæ aliquo modo accidit, & ſunt eius genera duo. 1. Cauſa per accidens eſt, quiddam accidens cauſæ per ſe agenti, vnde quodammodo impellitur, *vt febris eſt cauſa temperantiæ per accidens. Cauſa enim per ſe temperantiæ eſt voluntas, ſed huic interdum accidit febris, quæ eam mouet conſpectu periculi, vt iniiciat frænum*

frænum cupiditatibus. 2. Causa per accidens est, quæ externa facultate efficit, vt

Sed nos fata Deum vestras exquirere terras
Imperiis egere suis, &c.

Quærat aliquis, quorsum sit referenda causa sine qua non? Respondeo, *modo ad adiuuantem causam, modo ad adiunctam.* Est autem causa sine qua non, quæ nihil confert ad effectum sua efficacia, & tamen ab agentibus separari non potest, *vt remotio materiæ purulentæ, non est causa vera sanationis, & tamen non potest sanari vulnus, nisi remoueatur pus. Ista igitur remotio est causa* ὧν οὐκ ἄνευ. *Item oculus est vera causa visionis, & tamen visio non potest fieri sine medio perspicuo & illuminato. Tres causæ amoris sunt, obiectum & cor; causa sine qua non est cognitio obiecti.*

Fortunæ subiicitur imprudentia ac ignorantia, *vt casu imprudens venator telo in feram emisso, occidit hominem.* Fortunæ autem nomen ignoratio causarũ confinxit; cum enim aliquid præter consilium spemq; contigerit, *fortuna* dicitur.

REGVLA.

Si fortuna sit, res esse potest.

Necessitas vel causa coacta est, quæ vi cogente facit, seù quæ externo impulsu violenter agit, *vt cum fur tractus abit in carcerem, cum bos tractus it ad macellum, Stoicis, quidam homines fato coguntur esse boni, quidã improbi. Diuina enim prudentia homines non coguntur ad agendum.*

Sic arguo. *Deus necessario facit bene. Diabolus necessario male, vterq; autē est causa per se suarum actionum.* E. *Necessitas non est causa per accidens.* Respondeo *per distinctionem.* Duplex est necessitas. Spontanea (*naturalis, vt ignis vrit*) *quæ est causa per se:* altera violenta *quæ est causa per accidens.*

REGVLA.

Si necessitas sit, res efficitur, & contra, *vt si fata obstant tristiq; palus inamabilis vnda. At mihi quidem* (inquit orator) *si proprium & verum nomen mali nostri quæratur, fatalis quædam calamitas incidisse videtur, & improuidas hominum mentes occupasse, vt nemo mirari debeat humana consilia diuina prudentia esse superata.*

NOTATIO.

Quærat aliquis quorsum referenda sint hæc exempla? Primum, quod *Cicero excusans Pompeianos ait, eos ad bellum ciuile contra Cæsarem veluti necessitate fatali impulsos.* Item, *cum dicitur Paulum impelli ad peccandum a vitiosa natura.* Item, *Euangelista, Christum oportuit pati & mori.* Item, *si viator metu mortis promittat certam pecuniæ summam.* Respondeo. Pertinere ea ad mixtum genus, quia hic efficientia agunt partim per se & voluntarie, partim per accidens & inuoluntarie quodammodo. *Sic mercatoris, metu naufragij abiicientis merces in mare, actio partim voluntaria est, partim inuoluntaria. Inuoluntaria quia mercator eiicit inuitus, id est, non libens. Voluntaria est quia voluntas cogi non potest.*

(*Sic*

(Sic Deus natura & tamen libère iuste agit. Angeli natura libereq; boni sunt, non autem coacti siue necessitate.)

Obſerua hic neceſſitatem eſſe *ſimplicem* & abſolutam, vel *cum adiunctione*.

Simplex aut eſt *coactionis* aut *ſine coactione*.

Neceſſitas eſt, quæ cum additione quadam proponitur.

DE MATERIA.

Materia eſt cauſa, ex qua res exſiſtit, vulgo materialis, *vt ex præceptis conſtat ars, apes ex leonum & boum cadaueribus naſcuntur. Dialecticæ & aliarũ artium materia ſunt ipſa præcepta. Gen. 3. Puluis es & in puluerem reuerteris. Hic hominis materia eſt puluis. Crabrones ex equis, ſcarabei ex aſinis, ſerpẽtes ex hominibus mortuis naſcuntur. Syllogiſmi materia ſunt argumẽta.*

Materiam generaliter & topice intelligit Ariſtoteles ſcilicet etiam de rebus incorporeis, *vt* ſic arguo, *Deus eſt expers compoſitionis* E. *eius neq; materia neq; forma*. Reſpondeo, *Deus quidem non componitur compoſitione phyſica, ſed interim componitur compoſitione logica. Deſcriptio enim eius habet quoddam inſtar materiæ & formæ.*

Obſeruabis hic primo Ariſtotelicis *accidentia non habere materiam ex qua*. Sed non loquũtur topice, intelligunt tantum materiam ſenſilem & phyſicam, imo habent etiam quandam materiam. Deinde notabis Ciceroni *ſubiectam materiam non eſſe cauſam, ſed obiectum*, de quo

infra; Philippo *materiam in qua, esse subiectum.*

Materia duplex est Prima seu remota, *vt humani corporis humus.* Et Secũda seu propinqua, *vt semen.*

Quærat aliquis, *cur Aristoteles materiam vocet necessitatem.* Respondeo; *Quia si res sit, materiam esse necesse est. Hæc autem necessitas est ex hypothesi, non simplex.*

AXIOMA.

Exsistente materia, res materiæ esse potest, & contra, *vt si lignum sit, ligneus potest fieri bolus & contra.*

DE FORMA.

Forma est causa, per quam res semper est id, quod est.

Diserte additur semper. *Nam videtur etiam per efficientem esse id quod est, quatenus indit formam rei.*

Vulgo est, quæ dat esse rei, *hoc est*, rei ædificatio.

Sæpe etiam dicitur *differentia*, quia *forma res a cæteris differt & distinguitur.*

Sæpe etiam dicitur *proprietas rei* & κατ' ἐξοχὴν *natura:* vt, *virtutis forma est actionis honestas: Dei forma est absoluta bonitas.*

Aristotelici *formam* diuidunt *in essentialem* & *accidentalem, sed nos solam essentialem causam esse, accidentalem vero nihil aliud, quam adiunctum dicimus.*

Officia formæ duo sunt. 1. Forma rem infor-

format, *hinc dicitur specifica, constitutiua & completiua.* 2. Distinguit rem a cæteris rebus, & *tum magis propriè dicitur differentia, eaq; διαιρετικὴ, id est, diuisiua.* Hanc causam maxime secutus videtur Adamus, *cum animantibus nomina imponeret; & sic Deus eam vim semini impressit, vt similem formam & speciem ederet.* Sed hæc causa, cum vel sola veram efficeret scientiam, *vt ait Aristoteles* 1. *Top.* tamen obscurior est propter prauitatem nostram, & sæpe vix satis circumscribi potest.

Formæ duplex est officium. 1. *Rem constituere.* 2. *Distinguere eam ab aliis.* Hinc alia *interna* siue *essentialis*, alia *externa* siue *accidentalis* forma vocatur. *Plantarum, herbarum, gemmarum alia est interna forma, alia externa, qua ab aliis & inter se differunt. Sic magnetis forma interior est trahere ferrum, vergere ad arctum, exterior est, quæ incurrit in oculos.*

CANON. 1.

Si forma sit, etiam res formata est, & contra; *seu* Posita forma substantiali, res ipsa ponitur, & contra, *vt, si quid turpe sit, vitium fuerit, sin minus non fuerit. Stellæ non habent animas insitas. E. non sunt animalia.*

Specificæ formæ non tollunt generales, *vt homo est bipes. E. non est sentiens.* Actus sine forma nullus, *vt non est baptizatus in nomine patris filij & spiritus sancti. E. non est legitime baptizatus.*

Sunt qui materiam primã in physicis tanquam tenuem & fugientem quandam vmbram considerent, & prorsus forma carentem, id fieri non potest.

Neq; enim res, quæ exsistit, omnino forma carere potest, nihil est, neq; propterea est.

CANON. 2.

Vni rei vnica tantum forma essentialis tribuenda est, *alioquin enim vnum & duo confunderentur & res fieret monstrosa.*

CANON. 3.

In rebus naturalibus sæpe forma & finis conueniunt. *Forma enim naturæ proximus finis est. Anima est forma & finis corporis viui, propter animam enim corpus viuit, & corpus viuit propter animam, vt nimirum anima habeat organa ad exercendas actiones suas. Spiritus finitus est conditus, vt referat Archetypum quadam similitudine iustitiæ & sapientiæ, hæc eadem similitudo forma etiam est spiritus sancti.*

Sic arguo. *Duo pili, duo grana hordei, duæ guttæ vini & sanguinis non sunt vnum indiuiduum, & tamen forma non differunt. E. non est κατὰ παντὸς, quod duæ res quælibet forma differant.* Respondeo; *Etsi non differant essentia, tamen differunt subsistentia, ὑποστάσει & numero, atq; id hic vix forma est.*

DE FINE.

Finis est causa, cuius gratia res est, vulgo *causa finalis*, vt *studiorum finis est eruditio. Mundus Dei & hominũ causa constitutus est. Grãmaticæ finis est bene loqui. Rhetoricæ bene dicere. Logicæ bene disserere. Homo creatus est propter gloriam Dei, Dei itaq; gloria est finis homini*

propo-

propositus. Bellum geritur vt viuatur in pace. Pax est, ergo finis belli. Quo mihi diuitiæ (argentum) si non conceditur vti?

Obserua, *cogitationem de fine*, quæ Philippo est *causa finalis*, non esse *quartam causam*, sed *efficientem impulsiuam*, qua mouetur & regitur agens in opere instituendo.

CANON. 1.

Si finis sit, etiam destinatum erit, & contra, id est, *sublato fine principe tolluntur destinata, vt si æterna vita vis potiri, via erit Christus, sin minus quo tibi via illa? Cum in hoc mundo cessabit rerum generatio, id quod post vltimum diem futurum est, etiam motum cœli & astrorum cessaturum Physici Christiani disputant, quia rerum generatio est finis cœli motuum.* vel, Posito fine ponitur & finitum seu destinatum, & contra, *vt si vis doctus euadere, laborem discendi suscipe, sin minus, non fuerit opus.*

A finibus errantibus non valet consequentia, *vt hæc puella non est dotata E. non ducam. Vocatur elenchus finis.*

CANON. 2.

Vnius rei possunt esse plures fines certo ordine, quorum alius summus, alij medij sunt. *Sic coniugij finis principalis est propagatio sobolis, minus principalis solatiū & vitatio prauarum libidinum. Sic summus finis rerum omnium est gloria Dei. Studiorum nostrorum fines sunt gloria Dei, propagatio ecclesiæ & honesta sustentatio.*

Regula iurisconsultorum; *Finis principalis non tollit accessorium.*

OBIECTIO. 1.

Natura de his quæ agit, neq; consultat neq; deliberat. Finis autem (*teste Aristotele 2.post. cap.11.*) est in ratiocinatione & deliberatione, imo eodẽ teste *in Physſ.lib.2.cap.9.* finis est principium ratiocinationis. E. *Natura non agit per finem, & finis non est argumentum logicum, quia non est omnis entis & non entis, sed vnius tantum entis videlicet vtentis deliberatione.* Seu, *nullum* ἄλογον *agit propter certum finem*, & per consequens, *finis non est logicum genus causæ.* Respondeo, ad assumtionem. *Natura est quidem* ἄλογος, *nec agit deliberatione propria, sed tamen agit consilio eius, qui ad finem etiam certum omnia destinauit, id est, Dei.*

OBIECTIO. 2.

Si finis est causa destinati, ipsum destinatum antecedet. *Causa enim præcedit effectum suum.* At finis destinatum sequitur, quia domus habitatio (*quæ vere domus finis est*) est posterior ipsa domo. E. *finis non est causa destinati.* Et per consequens, *finis e numero causarum excludendus est.* Respondeo, Assumtio est distinguenda, *domus quidem vt materiatum & formatũ antecedit habitationẽ, sed domus habitata, quæ destinatum seu finitum est ante habitationem ipsam, quæ finis est, nunquam fuit.*

DIVISIO FINIS.

Finis est Summus, vel Subordinans, vel Vltimus, vel Medius: seu Princeps, vel Minus princeps.

Primi

Primi generis eſt Communis, vel Proprius.

Communis eſt generaliſſimus. *Hic vnicus eſt; ad quem omnes res totius vniuerſitatis referuntur.*

Proprius, Generalis vel Specialis.

Eſtq; Varius, vel Multiplex, *quia ſingulæ res habent ſuum finem peculiarem.*

Speciales autem fines comprehenduntur ſub generali, *vt dialecticæ finis generalis eſt bene diſſerere. Speciales ſunt inuenire argumenta, ſeu ſimplices notiones inuentas diſponere, inuentionis & diſpoſitionis examen inſtituere.*

Poſterioris generis finis eſt, qui refertur ad ſuperiorem, tanquam pręſtãtiorem, *vt finis ſtudiorum intermedius eſt, vt compares tibi adminicula vitæ, vel iuues communem ſocietatem. Sic miles dimicat, vt ſtipendium accipiat.* Non igitur valet conſequentia; *incumbendũ eſt literis humanitatis & pietatis, vt Deum agnoſcamus & celebremus. E. non ſunt exſpectanda præmia corporalia aut ſtipendia, quia vnius rei poſſunt eſſe diuerſi non repugnantes fines, ſed* ὑπάλληλοι *ſubordinati.*

Differunt finis & euentus: Euentus *enim in cauſa per accidens*, finis *in cauſa per ſe agente* ſpectatur. Legis finis *eſt promereri obedientibus vitam æternam.* Euentus *accuſare & damnare homines peccato corruptos.*

Regula hic obſeruanda eſt Ariſtotelis. Pro-

pter quod vnumquodq; est tale, illud magis est tale, *vt mulier est condita propterea, vt socia generationis laborum & precum. E. vir præstantior est, quam fœmina. Mercator appetit iter propter lucrum. E. lucrum magis appetit.*

DE EFFECTIS.

Effectum est, quod e causis exsistit, siue igitur gignatur siue corrumpatur, siue modo quolibet moueatur quidlibet, hic motus & res motu facta, *hoc est, tam generatio quam generatum, tam corruptio quam corruptum*, dicitur effectũ. *Nomine enim effectus, non solum opus actione perfectum, sed etiam factum & actio ipsa intelligitur. Sic effectum manus meæ est, & scriptio, & scriptũ.*

Aristotelici sæpe vocant effecta, *argumenta a posteriore*, vt causas, *a priore*, item *accidentia*, vt *ambulare Aristoteli est accidens; hominis est accidentarium, & contingens effectum*. Sæpe etiam effecta propria vocant *absolute propria*, vt *resuscitare mortuos est proprium Dei.*

Causatum Græce αἰτιατὸν, est Effectum, & Materiatum, vel Formatum, & Finitum.

Causatum est, quod ab efficiente exsistit. *Sic mundus est effectus ab auctore Deo.*

Materiatum est, quod ex materia factum est, *vt domus ex lignis, lapidibus, ars ex præceptis.*

Formatum est, quod vi formæ exsistit, interdum dicitur etiam species, *vt quod*

quod homo sit, fit propter animum rationis participem. Quod Pompeius a Iulio Cæsare cognoscitur, fit qualicunque forma.

Finitum seu destinatũ est, quod ad finem spectat, seu, quod vi finis fit, *vt discimus literas vi & efficacitate huius finis, vt simus eruditi. Sic pie sancteque viuimus propter hunc finem, vt Deus celebretur.*

Contra. *Destinatũ est causa finis. E. non effectũ.* Assumtionẽ probo, *matrimonialis cõcubitus destinatus est procreationi prolis, estque causa efficiens finis, quatenus finis consideratur ad effectum.* Respondeo, *Finis & effectus sæpe conueniunt. Itaque finitum seu destinatum sæpe pro causa efficiente sumitur, vt labor & studium destinãtur eruditioni, & sunt efficiens eruditionis.*

CANON.

Posito effectu necesse est causam esse vel fuisse. *Nihil enim fit sine causa, & nihil est causa sui ipsius, vt Psal.* 103. Thema; *laudandus est Deus.* Argumentum a factis, qui *vitiis nostris ignoscit & nostros morbos sanat.*

Obiectio, si *Dialectica ad se ipsam docendam, id est, ad dialectica præcepta describenda adhibetur, idem a se ortum habebit. Sed primum verum, E. & consequens.* Respondeo, *ad assumtionem per distinctionem. Logica naturalis vsu confirmata est causa artificiosæ logicæ, quæ quodammodo differunt. Si dicas artificiosam dialecticam in mente fuisse causam artificiosæ dialecticæ describendæ chartis*, respondeo, *hanc & illam vnam esse*

quemadmodum enunciatio, quam ore profers aut mente retines, eadem est.

APPENDIX AD LOCVM causarum & effectorum.

Aristoteles in physicis infinitatem causarum recte negat. Quamobrem semper erit quædam prima, aliæ mediç, quæ interim rationem etiam habent effectuum. Diuisio itaq; hæc minime prætereunda videtur.

Causa est, vel Summa seu prima, vel Infima. *Diuisio hæc non est reciproca, quia conuenit & generi & speciei, interdum etiam subiecto, adiuncto.*

Prima est, supra quam non est alia. *Quia enim vt in causis, vt & in generibus, impossibile est progredi in infinitum, necesse est in prima quadã causa consistere, ideoq; prima quædam constituenda est in rerum serie, vt Deus est causa temperamenti tui prima vniuersalis.*

Media seu ὑπάλληλος est, quæ modo est causa, modo effectus, *vt temperamentũ & mores. Temperamentum est causa morum partialis, etiam effectum Dei,*

Infima dicitur, infra quam non descenditur, *vt honestæ vel vitiosæ actiones sunt causæ præmiorum vel pœnarum.*

OBSERVATIO.

Regula, propter quod vnumquodq;, &c. supra tradita, commodius refertur ad effecta. Cum enim dico, *auarus appetit nauigationem propter lucrum. E. pecuniam magis appetit*, argumentum sumo a finito suscepto finis causa, id

est,

est, propter finem seu destinatum, per comparationem imparium.

Christus est verus Deus, quia omnium rerum conditor est, Argumentum ab effectis. *Romulus Romam condidit, Cic. Rempub. conseruauit, Scipio Carthaginem euertit. Roma igitur est effectũ Romuli, conseruatio Reipub. effectum Ciceronis, euersio effectum Scipionis.* Deniq; quicquid vel a causa, vel ex causa, vel per causam, vel propter causam constituitur, id dicitur effectum.

DE TOTO ET PARTIBVS. CAP. IIII.

Totum est, quod continet partes.

Pars est, quæ continetur a toto.

OBIECTIO.

Totum & partes sunt argumenta orta ex causis & effectis. E. in loco distributionis tradi debuerant. Respondeo, *debuerant sane, si originem spectemus. Sed nos hic tradimus, quia simpliciora sunt & absq; distributionis ratione doceri possunt, & sæpe extra perfectam distributionem vsurpantur.*

Totum est Integrũ, vel Genericum.

Pars est Membrum, vel Species.

Integrum, seu totum integrale (*sic Iurisperiti quidam vocãt*) est, cui partes sunt essentiales, *id est*, cui partes essentiam & naturam tribuunt. *Habet autem integrũ ipsum se vt effectus. Membra enim coniuncta continent materiam & formam integri.*

Membrum est pars integri, *id est, partes sunt, e quibus componitur totum.* Habet igitur se vt causa.

Membra sunt Principalia vel Minus principalia.

Aristotelici etiam membra diuidunt in *Primaria* seu *essentialia*, & *Secundaria* seu *integrantia*, quæ collecta rem integram apte perficiunt, vt *caput, pectus, pes, corpus absoluunt.* Ramus hanc diuisionem negligit, quia corpus quatenus vicissim suas habet partes, integrum est suarum partium, & reuera omnia membra sunt substãtialia, quia toti sunt essentialia.

Principalia totum principaliter cõstituunt, nec sine his saluum manere totum potest, *vt cor, epar, pulmo. Homo integrum est, cuius membra essentialia sunt corpus & animus, materia scilicet & forma. Sic mũdi membra sunt ætherea & elementaris regio.*

DE RELATIONE INTEGRI & membri.

Idem potest esse membrum huius & illius integrum, *vt homo, corpus, thorax, cor, corpus est membrum hominis, homo integrum est, & corpus est integrum thoracis, thorax est integrum cordis, cor thoracis.*

CANONES.

1. Si totum integrum sit, erunt & partes.

2. In

2. In quo totum eſt, in illo oportet & partes eſſe, & reciproce.

3. In quibus partes ſunt, & totum ineſſe neceſſe eſt.

Deſtructa parte minus principali, non deſtruitur totum, *vt non habet vngues E. non eſt homo.*

4. Si partium vel vna deſit, totum non eſt, at non contra; ſi totum non ſit nulla pars erit. *Caius Iuriſconſultus l. 1. ff. de origine iuris*, ait, in omnibus rebus id *iudico perfectum eſſe, quod ex omnibus ſuis partibus conſtat.*

EXEMPLA.

Quintia eſt candida, longa & recta, igitur eſt formoſa. Non valet conſequutio, quia deficiente vna parte totum perfectum eſſe nequit. Venuſtas autem eſt formæ pars, hac igitur abſente totum negatur. Huic ædificio deeſt tectum. E. non eſt domus. Valet.

Genus eſt totum partibus eſſentiale, id eſt, omnibus ſpeciebus ſuã communicat eſſentiam. *Communicat enim omnem materiã & formam ſuam cuiuis ſpeciei. Habet igitur ſe vt cauſa ad ſuas ſpecies.* Differt ab integro. Integrum enim ſumit eſſentiam a membris. Genus vero eſſentiam ſpeciebus tribuit. Membra conſtituunt totum integrum, ſpecies cõſtituuntur a genere, ſpecies eſt pars ſubiecta generi. Eam genus ſimul cum propria quadam ipſius ſeu forma ſeu differẽtia efficit, id eſt, quic-

quid generis essentiam pariter communem habet, id species recte dicitur. Species igitur effectum est generis, *vt animal, & illud quidem ratione præditum, hominem facit, vt speciem.*

Genus communius & superius est; Species angustius & inferius aliquid.

Obserua Porphyrium & Aristotelicos alias voce speciei abuti pro subiecto aut definito. Propriè enim est relatum generis, vt definitum relatum definitionis.

AXIOMATA ARIstotelica.

1. Genere affirmato vel negato, generaliter species quælibet concluditur, *vt si omne animal spirat, pisces quoq;*, non tamen contra. Posita enim vna specie, non illico concluditur genus, *vt omnis homo rationalis est. E. omne animal rationale est.*

2. Posita vna specie, concluditur genus specialiter, *vt si homo ridet, animal ridet, aliquod scilicet non vtiq; omne. Mahometistæ non credunt in filiũ. E. nulli populi.* Respondeo, *a specie ad genus non argumẽtamur negate vniuersaliter sed particulariter, vt Mahometistæ non sunt ecclesia. E. aliqui homines non sunt ecclesia.*

3. Quæcunq; insunt speciebus omnibus, insunt & vniuerso generi, *vt homo & bestia sentiunt. E. animal sentit.* Et contra.

DIVISIO GENERIS & speciei.

Genus

Genus est Generalissimum, vel Subalternum.

Summum est, quo nullum est superius, alias dicitur generalissimum. *Sic in omni disputatione primum caput genus summū est. Sic Aristotelis decem categoriæ genera summa sunt. Quamquam hæc super se habent aliud genus videlicet ens.*

Subalternum genus est, quod nunc genus, nunc species est, *vt virtus est genus iustitiæ, sed est species habitus.*

Subalternum est Medium, vel Vltimum.

Medium est, quod inter summum & vltimum interiectū est, seu quod & supra & infra se aliud genus habet, *vt animal supra se habet corpus animatum, infra se hominem.*

Vltimum est, quod nullum infra se genus habet, ideoq; Infimum dici potest, *vt homo. Sic enim Aristoteles metaph. 3. cap.* 4. inquit. *Extrema seu vltima genera sunt indiuidua, vt homo.*

Species item Subalterna, vel Specialissima.

Subalterna est, quæ modo species est, modo genus, *vt planta genus est respectu herbæ, species respectu corporis viui.*

Specialissima seu infima est, quæ est

indiuidua in alias species,& nunquam genus. *Græcis dicitur ἄτομον, id est, indiuiduum, vt Socrates, hæc herba. Sed Philippus appellationem speciei infimæ non tribuit indiuiduo, sed notiori vocabulo, quæ indiuiduo est proxima, vt hominem vocat speciem infimam. Socratem vero indiuiduum & singulare. Atqui nos sequimur auctoritatem Aristotelis & Iurisconsultorum, qui indiuidua speciem etiam appellat.*

Notabis hic Latinos pro voce *speciei* sæpe vsurpare vocem generis, *vt tria sunt genera bonorum, id est, species.*

DE SVBIECTO.

Quodammodo consentanea sequuntur subiectum & adiunctum.

Subiectũ est, cui aliquid adiungitur. *Sed intellige sine vi causæ. Adiunctum enim non confert essentiã rei, nec est pars essentialis rei, Aristoteles vocat ὑποκείμενον.*

Differunt subiectum & substantia. Substantia *nunquam est accidens, sed per se constans.* Subiectum *est vel substantia, vel accidens.*

1. Subiectum est Recipiens vel Occupans.

Recipiens est, quod recipit rem adiunctam: vel In se, *vt substantia qualitatem & quantitatem:* vel Ad & circum se, *vt homo ad se recipit librum, gladium, pennam,* item, *quando induit vestem. Deinde recipit circum se satellites & stipatores. Aristoteles vocat ὑποκείμενον δεκτικόν.*

Exempla. *Anima est subiectum scientiæ, ignorantiæ, vir-*

tiæ, virtutis & vitij. Menti doctrina, sapientia, iustitia, temperantia adiunguntur. Mens igitur, est subiectum doctrinæ, sapientiæ, iustitiæ & temperantiæ. Corpus est subiectum sanitatis & pulcritudinis, quia sanitas & pulcritudo corpori adiunguntur. Fortitudini gloria comes est, & adiungitur, ac proinde fortitudo est subiectum gloriæ. Pegasus est subiectum celeritatis, quia celeritas Pegaso adiungitur.

Huic subiicitur locus, hoc est, spatium rei locatæ.

Subiectum Occupans est, quod rem, quę adiungitur, occupatam habet, seu est, circa quod, in quo versatur, occupatur adiunctum. *Vulgo dicitur*, Obiectum & materia circa quam, *interdum etiam materia* in qua & subiecta materies, *vt Arithmetici obiectum est numerus, Musici cantus, color occupat visum, sonus auditum, iustitia versatur in suum cuiq; tribuendo.*

2. Subiectum est Proprium, cui vni, *id est*, soli aliquid adiungitur, *vt Deitas in Christo est proprium subiectum omnipotentiæ. Lux & color sunt proprium subiectum, id est, obiectum visus*, vel Commune, cui cum aliis communiter aliquid adiungitur, *vt Coruus est subiectum nigredinis, quia etiam Æthiops niger est. Magnitudo & numerus sunt communia obiecta visus, quia etiam percipiuntur ab auditu.*

REGVLÆ.

Si subiectum recipiens sit, ei res adiungi poterit, & contra, *vt si habeas mentem, doctrinæ capax eris. Cic. de nat. deorum, negat mentem, virtu-*

tem & fidem esse numina; argumentum a subiecto recipiente, quia nobis ipsis insint.

Sublato subiecto tanquam fundamento tollitur adiunctum, *vt pereunte agro seruitus perit, vt ait Iurisconsultus, nullam esse seruitutem nisi in aliquo corpore. Oculus corruptus est. E. exstincta est visio; valet consequutio, quia destructo subiecto pereunt accidentia.* Nec accidentia possunt esse sine subiecto, *vt in statua non est mens. E. nec notitia, vel cogitatio; valet consequutio, quia notitia est proprium adiunctum mentis non corporis, seu quod idem est, mens est propium subiectum notitiæ non corpus. Non est purgatorium. E. non est calidũ, quia rei non exsistentis nulla sunt accidentia.*

Obiecta potentias excitãt & mouent, *vt color oculũ ad videndum, sapor linguã ad gustandum.* Itaq; ad efficientes causas etiam referuntur.

DE ADIVNCTO.

Adiunctum est, cui aliquid subiicitur. In scholis Aristotelicis κατατυχηστικῶς sæpe dicitur causa per accidens, *vt cum pastor mactat ouem & musicus ædificat, pastor & musicus horũ effectuum causæ per accidens dicuntur. Sed reuera & per se causæ sunt lanius & architectus, id est, pastor mactat, quatenus lanius est, & musicus ædificat, quatenus architectus est. & sic lanio accidit esse pastorem, & architecto musicum.* Adiunctũ ab Aristotelicis etiam solet vocari forma accidẽtalis. *Animi, corporis & totius hominis bona & mala, quæ dicũtur, adiũcta sunt animi, corporis, hominis.* Deniq; quicquid vlli subiecto extrinsecus accidit, adiunctũ eius est. *Sic homo est eruditus,*

rudis,

rudis, disciplinabilis. Milo est pugil. Apelles est pictor, Crassus est diues. Animæ adiunguntur virtus, & doctrina, terræ arbores, cœlo stellæ, aquæ pisces. E. virtus & doctrina adiuncta animæ, arbores terræ, stellæ cœli, pisces aquæ adiuncta sunt.

1. Adiunctum vel est Receptum, Græce τὸ ὑπάρχον: vel Occupatum.

Receptum est, quod a subiecto recipitur, ita vt vel Insit, *vt sapientia in animo*, vel Adsit & circumstet, *vt amici adsunt homini, circum dominam sunt ancillæ.*

Huius loci est tempus, hoc est, rerũ duratio.

Occupatum est quod in re subiecta occupatur, *vt Musica in cantu, virtus in reprimẽda libidine occupatur, scholasticus in discendo, mulier in colo.*

2. Deinde adiunctum est Commune, vel Proprium.

Commune est, quod multis subiectis conuenit, *vt canescere, non solum homini conuenit. Nam apud Philandos & Lappios conterminasq; regiones, corui, passeres, lupi ac magis omnibus vrsi canescunt teste Cardano lib. 1. de rerum varietate.*

Proprium est, quod vni conuenit, *vt homini esse Grammaticum.*

Quod si soli, omni, & semper conuenit proprium, dicitur proprium κυριώτατον seu ἰδιαίτατον, *vt homini γελαστικὸν.*

Aristotelici qui sequuntur Porphyriũ, *quatuor modos* faciunt *propriorum adiunctorum*, e quibus secundus impropriissime hoc nominis obtinet. Nam proprium, quod omnibus indiuiduis conuenit, sed nõ soli speciei, non est proprium, sed commune adiunctum.

Exempla proprij adiuncti.

Hinnit equus, barritq́; elephas, sed rudit Asellus,
Balat ouis, mugit taurus, blateratq́; camelus,
Sus grunnit, latratq́; canis, vulpecula gannit,
Et cornicatur cornix, & gatitat anser.
Et corui crocitant, cuculus coccissat, hirundo
Trinsat, aper frendet, mitilatq́; acredula mane,
Gloterat at longo crepitatq́; ciconia rostro,
Garrit pica, pipit passer, stridetq́; cicada,
Et gallina simul glocitat, glocit atq́; glocillat,
Zinzillatq́; merops, cucurrit gallus, & anguis
Sibilat, accipitres biplant & rana coaxat,
Grus gruit, ast aquilæ clangunt, vrsus ferus vncat,
Mus mintrat, tetrinnit anas, rugitq́; leæna.

Significatur autem his verbis non semper actio, sed facultas etiam. Hinc regula; *Verba in enuntiatis sæpe potentiã, non actum significant, vt hinniens est, quod potest hinnire.*

3. Adiuncta sunt Perpetua seu inseparabilia; vel Separabilia.

Perpetua, quæ a subiectis nunquam separantur, & vocantur ab aliquibus adiacentia προσκείμενα, *vt corporis physici adiunctum ἀχώριστον & perpetuum est quantitas seu magnitudo & circumscriptio*, vt humiditas ab aqua, calor ab igni. Sepa-

Separabilia ſunt, quæ a ſubiecto detrahi poſſunt, *vt ſanitas & ægritudo a corpore,* vt frigus ab aqua, lætitia a corde.

His ſubiiciuntur communiter accidẽtia, quę etſi plerunq; adiungantur ſubiecto, interdum tamen impediuntur. *Sic ebrio plerunq; accidit, vt fiat calidior. fieri autẽ poteſt, vt calor impediatur, vt cum in ventriculo debili, nimis onerato, tãta eſt cruditas, vt prorſus nulla ſit actio ventriculi. Nauigatio eſt hyberna. E. erit difficilior. Valet conſecutio a communiter accidentibus.*

REGVLÆ DE ADiunctis.

1. Poſita coaceruatione accidentium, ponitur res ſubiecta, *vt in ſanguine eſt humor ater, amarus, mordax, arrodens, exulcerans linguam ac fœtidus. E. multum eſt atræ & aduſtæ bilis.*

2. Si adiunctum ſit, vel eſt, vel eſſe poteſt ſubiectum quiddam, *vt graue eſt. E. metallum vel eſt, vel eſſe poteſt.*

3. Si ſubiectum cum adiuncto ſit, profecto ſubiectum etiam erit. Vocant vulgo; Ab eſt tertio ad eſt ſecundum valet, *vt ſi mortui ſunt miſeri, non poſſunt non exſiſtere mortui. Si Lazarus fruitur gaudio. E. Lazarus eſt.* Contra Philippus ait, non valere, *mortuus eſt miſer. E. mortuus eſt, id eſt, ſubſiſtit.* Reſpondeo, per diſtinctionem *mortui ſunt, quatenus viuunt eorum animæ. Imo adhuc cadauer eſt aliquid. Mortui non ſunt reſpectu ſcilicet ſubſiſtentiæ perſonalis ſeu ratione compoſiti, id eſt, non ſunt id, quod fuerũt, ſcilicet aliquid*

constans ex animo & corpore. Philippus sic dicit, *Ab est tertij adiecti ad est secũdi adiecti, valet consecutio.*

4. Cui tribuitur proprium adiunctũ essentiale, huic etiam essentiam tribui necesse est, *vt filius Mariæ est omnipotens. E. est Deus. Est enim omnipotentia essentiale idioma Deitatis.* Phil. sic, *Cui tribuitur proprium, eidem essentia.*

5. Adiuncta quo plura fuerint, hoc plus valent. Hinc versiculus; *Et quæ non prosunt singula multa iuuant.*

DE SIGNIS.

Cæterum ad locũ adiunctorum referuntur Signa. (*Signum est aliquid incurrens in sensus*) quæ diuiduntur in Necessaria, quæ Græcis sunt τεκμήρια, & Probabilia εἰκότα.

Communiter etiam dicuntur accidentia, quæ Græcis sunt εἰκότα.

Suntq; Antecedentia: vel Coniuncta cum re: vel Consequentia, *vt vespertina rubedo est signum serenitatis, matutina pluuiarum. Terræ motus est signum futurorum bellorum. Tumet vterus, igitur facta est grauida. Tumor vteri est signum probabile impregnationis. Lac habet. E. non est virgo. Vulgo dicitur esse argumentum a signis necessariis, rectius dices a signis verisimilibus. Docent enim medici physici lac in fœmellis esse posse, quæ neq; grauidæ sunt, neq; recens pepererunt.*

REGV-

REGVLA.

A ſignis neceſſariis valet conſequentia perpetuo. A probabilibus vel non neceſſariis plerunque (non perpetuo) præſertim cum multa concurrunt, *vt Boreæ ſpirant. E. erit ſerenitas, vt Sol & Luna pallidum referunt colorem; Horis nocturnis non multæ ſunt ſtellæ conſpectæ in cœlo, canunt ranæ & cornices frequentes, volant hirundines, mordent muſcæ, mugiunt boues. E. pluet. Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat. Hic pallet. E. habet epar infirmum, vel male concoquit cibos. Argumentum eſt ab adiuncto, ſed non neceſſario. Aliæ enim poſſunt eſſe palloris cauſæ.*

Sed tamen meminerint ſtudioſi, ſigna non eſſe vnius loci argumenta, interdum enim ſunt cauſæ, interdum effecta, interdum obiecta, interdum adiuncta, *vt cor vulneratum eſt ſignum mortis ſecuturæ, hoc eſt, cauſa. Lux eſt ſignum ortus ſolis, id eſt, effectus. Luceſcere neceſſario ſignificat ortum ſolis, quia effectus eſt neceſſarius ſolis ſpargentis lucem in ortum. Rubor eſt ſignum bonæ concoctionis, hoc eſt, effectus conſequens. Rubor enim fit ſparſo ſanguine bene cocto in totum corpus. Cineres ſunt ſignum concremationis, fumus ignis, meſſis facta ſementis. Hic ſigna ſunt effecta. Intumeſcens venter eſt ſignum hydropis. Flaueſcentes oculi ſunt ſigna regij morbi. Veſtitus muliebris eſt ſignum mollis hominis. Hic ſigna ſunt adiuncta. Quo & hoc pertinet apud Terentiũ. Virgo patitur ſibi ventulũ fieri flabello. Igitur abũdat calore. Fuga congreſſus cum æqualibus, odij ſignũ eſt, cuius eſt ſubiectum: Crebræ declamationes ſunt ſignum*

Rhetoris, id est, subiectum. Imo & aliis signum tribui potest, vt si quis Athenis sit, signum est quod Romæ non est. Hic signum est disparatū. Sed tum signum accipitur generaliter pro argumento seu probatione & indicio. Atq; hæc causa est, cur Ramus non fecerit signum argumenti speciem.

NOTA DE PROPRIO.

Paulo aliter hæc doctrinæ pars a P. Ramo traditur, quam hic proponitur. Ille ad generalem inueniendi doctrinam prædicabilia refert, genus & speciem *ad distributionem refert, vbi proprie distinguuntur gradus vocabulorum, quæ angustiora sunt & quæ communiora.* Differentia *eadem fere est cum causa formali, vel altera pars eius*, proprium & accidens *in adiunctis traduntur.* Non igitur omittit doctrinam prædicabilium Ramus, sed alio ordine tradit.

DE DISSENTANEIS.

Hactenus de consentaneis, nunc de dissentaneis.

Dissentaneum est, quod a re dissentit, *hoc est*, quod affirmatum negat rem, quam arguit; negatum affirmat rem, quam arguit, idq; expresse, non implicite.

Dissentaneum est tale Quodammodo, *vt diuersa*, vel Absolute, *vt opposita. Dissensio scilicet omnis vel* Rationis, ~~vel~~ Realis, *id est, rei.*

Dissentanea diuersa sunt, quæ sola ratio-

ratione dissentiunt, *vt, non formosus erat, sed erat facundus Vlysses; vel contra, facundus Vlysses erat, non formosus erat. Hic dissentanea sunt, quia negata Vlyssis pulcritudine, ponitur eius facundia, vel posita, id est, affirmata facundia, negatur pulcritudo.*

Diuersa sunt, quia subiectæ rei non est dissensio. *Itaq; si natura Vlyssi fauisset, simul fuisset & facundus & formosus. Et in multis hominibus vtrunq; simul est, & facundia & pulcritudo. Est quidem Imperator, sed non rex Hispaniæ, hic rationis, non rei dissensio, quia Carolus Quintus erat Imperator & Rex Hispaniæ simul.* Adhibetur hoc argumentum ad distinguendum, declarandum, aut illustrandum, non vero concludendum & argumentandum. Distinguimus autem & illustramus argumentis etiam, quia eorum est vsus generalis. Ita tum recte colligitur; *Tu Cicero es orator, Archias Poeta. E. non debes illi fructum eloquentiæ, argumentum sumtum est a diuersis adiunctis.*

Differunt diuersa & dissimilia. *In diuersis est negatio generalium, leuiuscula tamen: subiectæ enim rei non est dissensio. Itaq; leuior est, vt in oppositis maior. In dissimilibus est similis quantitatis negatio, eaq; fortior.*

Sola ratione dissentiunt, cum voluntas aut cogitatio nostra facit discrimen in re vna & eadem, *vt idem aer superior & inferior est, Idem Vlysses potest esse formosus, facundus.* Cum res natura consentientes quoq; possunt eodem tempo-

re eidem attribui, cum, *inquam*, eiuſmodi res ſic in oratione tractantur, & explicatius naturæ aliæ ab aliis diſſentientes efficiuntur, tum certe dicuntur ſola ratione diſſentire.

DE OPPOSITIONE.

Cap. V.

Oppoſita ſunt, quæ non tantum ratione, ſed etiam re differunt.

REGVLA. I.

Oppoſita ſimul eſſe, ſeu eidem attribui ſecũdum idem, ad idem, eõdem modo, & eodẽ tempore, non poſſunt.

EXPLICATIO REGVLÆ.

Simul eſſe] φθαρτικὰ τῶν ἀλλήλων ἐναντία, *oppoſita ſunt inter ſe corruptiua*, id eſt, *mutuo ſe expellunt*, id eſt, *Cui tribuitur vnũ oppoſitorum, ab eodẽ reliquũ mouetur*, ſeu, Oppoſitorum altero affirmato, alterum negatur, *vt ſi Paulus eſt electus a Deo, non eſt ab Angelo nec ab hominibus electus. Si coniugium eſt bonum non eſt malum.* Sed non contra. Medium enim alicubi eſſe poteſt. Valet igitur, *vox eſt acuta. E. non eſt grauis.* Non autem valet, *vox non eſt acuta. E. eſt grauis. Interiectum enim inter has eſt medium.* Non ſequitur item, *Hæc veſtis non eſt alba. E. eſt nigra, quia poteſt eſſe alterius coloris ſcilicet intermedij cœrulei, purpurei.* Namq; oppoſitorũ altero negato, non affirmatur alterum, niſi in contrariis, quorum vni vnum opponitur, *id eſt, quæ medio carent, vt non eſt pax. E. eſt bellum.*

Eidem

Eidem attribui] Id est, *de eodem prædicari.* Non igitur est oppositio, si dico *Christus est noster Saluator. Maria non est nostra saluatrix.*

Secundum idem] id est, *secundum easdē partes, vt non est oppositio, Æthiops est albus dentibus. E. non est albus facie.*

Ad idem] Id est, *respectu eiusdem, vt Christus passus est in carne, & non passus est secundum Deitatem. Hæc non est oppositio, quia non fit πρὸς ταὐτό. Surrexit, non est hic, scilicet præsentia corporali. at est hic, scilicet præsentia Deitatis. Homo est nihil respectu materiæ, homo est magnum quiddam respectu conditoris seu causæ efficientis.*

Eodem modo] Sine ambiguitate, *vt Ieremiæ decimo. Domine corripe me in iudicio.* Psal. 193. *Domine ne intra in iudicium cum seruo tuo. Hic non est vera pugna. Iudicium enim non dicitur ὡσαύτως seu eodem modo vtrobiq;. Illic intelligitur mitigatio sui iuris, hic seuera cognitio & diiudicatio causæ.*

Eodem tempore] Non est igitur ἀντιλογία *Math. 10. In viam gentium ne abeatis. Et Math.* 18. *Euntes docete omnes gentes. Nam illud dictum de tempore, quod antecessit resurrectionem Christi intelligendum est, hoc vero de tempore post resurrectionem.*

REGVLA. 2.

Opposita, iuxta se posita magis elucescunt, *vt clarius perceperis damna belli, si cum pacis commodis conferantur.*

DE DISPARATIS.
CAP. VI.

Opposita sunt Disparata vel Contraria.

Disparata sunt opposita, quorum vnum multis opponitur simul, *scilicet eodem oppositionis genere, vt viride, cineraceum, rubrum, media inter album & nigrum, quæ singula extremis & inter se disparata sunt. Sic homo, lapis, arbor & huiusmodi res infinitæ separantur, nec eadem res potest esse homo, arbor, lapis.* Item *Christus non assumsit formam angelorum, quia assumsit formam hominis. Ebr. 1. Virtus aut est potentia, aut affectus, aut habitus. Sed neq; potẽtia neq; affectus. E. habitus.* Hæc explicantur ideo, quia *e contrariis etiam vnum multis pariter opponi potest.* Motus enim opponitur motui, quieti, & non motui. Motus opponitur motui, *vt calefactio, frigefactioni, humectatio siccitati, vt aduersum aduerso.* Motus opponitur quieti, *vt priuationi habitus.* Motus opponitur non motui, *vt contradicens contradicenti, Quare* e contrariis, vnum multis opponi potest.

Hæc olim Ramus dixit *Repugnantia*, Rodolphus Agricola *differentia*, Aliquando etiam dicuntur *diuersa*, vt cum Augustinus inquit, *Sacramenta signa diuersa sunt, sed re significata paria.* Philippus vocat, *species disparatas, quæ non possunt misceri, vt Cic. & Cato sunt disparata, quia Cato non tantum opponitur Ciceroni, verum & Aristoteli & aliis hominibus. Sic liberalitas & auaritia inter se disparantur, quæ quidem male faciũt aduersa; Liberalitas enim nõ tantũ opponitur auaritiæ*

ritiæ, sed etiam profusioni. Sic flauum est disparatum rubro, viridi & albo.

DE DIFFERENTIIS disparatorum.

1. Disparata sunt indiuidua, quæ sub vna continentur specie vel diuersis, *vt singuli homines, vt Cato & Cicero, singuli equi, vt hic equus & iste equus.* Vulgo vocant differentia numero. 2. Disparata sunt species diuersæ, quæ sub vno genere comprehensæ sunt, *vt homo & equus.* sed hæc aliquando sunt contraria, *vt bestia & homo sub genere corporis animati.* 3. Quæ diuersorum generum sunt, *vt vitis & equus.* item ipsa genera diuersa, *vt animal & planta.* 4. Addunt aliqui differentiam prædicamenti, κατηγορίας, vt homo & vis ridendi in ipso, Item corpus & quantitas eius.

REGVLÆ.

Posito vno disparatorum, remouetur alterum. *Natura enim abhorret a rerum confusione & mixtione. Ideo Aristotelici dicunt,* vnum est proprietas entis, *vt hæc res est ferrum. E. non est ignis. Hæc domus est domus precum. E. non ludi.*

Exceptio regulæ.

In propositionibus de copulatione verbi & carnis duarum naturarum in Christo, disparatæ species coniunguntur, *vt Deus est homo, Filius Mariæ est Deus.* Sed hæc prædicatio inusitata ἄχρηστος est. Estq; Theologiæ propria, ac quidem in mysterio incarnationis singularis.

Ad disparata pertinent Media, *quæ*

extremis contrariis interiiciuntur, vt viride tum albo tum nigro repugnat disparate.

DE CONTRARIIS.
CAP. VII.

Contraria sunt opposita, quorum vnum vni opponitur, eodem oppositionis genere.

Contraria sunt Ἔμμεσα vel Ἄμεσα, *vt album & nigrum.*

Ἔμμεσα, *id est*, Mediata, quæ habent medium, *vt album & nigrum.*

Ἄμεσα, *id est*, Immediata, inter quæ medium dari non potest, *vt humiditas & siccitas, pax & bellum. Cic. Phil.* 8. *inter pacem & bellum nihil est medium.*

Contraria sunt Simpliciter, vel Mixte.

Simpliciter, quæ tantum dissentiũt, *vt sunt aduersa, priuantia, contradicentia.*

Mixtæ naturæ sunt relata, quæ consentiunt & dissentiunt.

E quibus aduersa & priuantia & relata habent medium aliquod, contradicentia nunquam.

POSSET ET TALIS DIuisio institui.

Contraria sunt Affirmantia vel Negantia.

Affirmantia, quorum vtrumq; exprimitur voce affirmante, *vt relata & aduersa.*

Affir-

Affirmantia ſunt Mutua affecta, vel Mere, & perpetuo contraria.

Mutua affecta ſunt relata, *hoc eſt, contraria, non perpetuo pugnantis naturæ, ſed mutuæ & reciprocæ affectionis, vt pater qui habet filium, & filius qui patrem.*

Mere & perpetuo, velut e regione contraria, ſunt aduerſa.

Negantia ſunt, quorum Alterum negante voce exprimitur.

Suntq; talia Generaliter expreſſa, *vt contradicentia*, vel Specialiter & implicite expreſſa, vt priuantia.

DE ADVERSIS.
CAP. VIII.

Aduerſa ſunt contraria affirmantia, quæ ſub eodem genere inter ſe velut e regione perpetuo aduerſantur, *vt Cic. pro Marcello. Nunquam enim temeritas cum ſapientia commiſcetur, nec ad conſiliũ caſus admittitur. Argumentum eſt ab aduerſis. Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes. Sic albor & nigror, calidum & frigidum, virtus & vitium opponuntur; ſic Deus & Satanas, ſpiritus & caro, lex & Euangelium, angelus bonus, angelus malus, benedictio maledictio, veritas mendacium, (Iudæi & Græci) libertas & ſeruitus opponũtur.* Argumentationes. *Voluptas non eſt proprium hominis, quia eſt bonum pecudis. Cic. 1. part. Chriſtus non eiicit dæmonia virtute Beelzebub, quia eiicit ea digito Dei.*

Obiectio. Sic arguo, *humanitas & feritas sunt aduersa. At non habent vnum genus. Illius enim genus est virtus, huius vitium. E. definitio est falsa.* Respondeo, *Aduersa habent vnum genus, vel proximum, vel remotum, vt vitium & virtus habent vnum genus proximum videlicet habitum. Sed feritas & humanitas habent vnum genus remotum scilicet actionem.*

Intellige non tantum qualitates, sed etiam essentias aduersas esse.

Exprimitur autem vtrunq; voce affirmante, *vt molle, durum; sapientia, stultitia; celeritas, tarditas; virtus, vitium; paruus, magnus; verum, falsum; libertas, seruitus; spiritus & caro. Rom. 8. Gal. 5. Homo, pecus.*

Obiectio. Sic argumentor, *Aduersa*, inquiunt *Aristotelici, sunt duæ qualitates quarum vna pellit alteram. E. substantia & quantitates non sunt diuersæ.* Respondeo, *est elenchus auctoritatis. Nam aduersa sunt omnis entis & non entis, & ipse Aristoteles ait, generi subiectas differentias esse aduersas, vt rationale & irrationale.*

REGVLA.

1. Si aduersorum sit vnum, non est alterum, & contra, si medium non sit, *vt si per gratiam saluamur, non per opera, sin minus, certe per opera. Non valet consequutio, virginitas est bona. E. coniugium est malum. Inter bonum & malum interiectum est ἀδιάφορον, id est, indifferens. Sic Christus Deo & Mammonæ nos pariter seruire posse negat. Paulus 2. Corinth. 6. Ne sitis infidelium socij, quæ enim*

enim est Christo cum Beliale concordia? Nullus auarus est Christi seruus, quia seruit Mammonæ.

2. Pugnantia opponuntur iuxta differentias, quibus dissident, non iuxta genus aut communia accidentia. *Amicos diligere debemus. E. inimicos odisse. Amicis bene precandum. E. inimicis male.* Non valet.

DE PRIVANTIBVS.

Cap. IX.

Priuantia dicuntur Habitus & Priuatio, vulgo priuatiue opposita. *Ex his priuatio negat implicite, id est, simpliciter, vt paupertas.*

Habitus significat rem affirmatam seu positiuam, quæ vere aliquid est, *vt diuitiæ.* Intellige generaliter non solum de accidentibus, sed etiam substantiis, *vt cadauer est priuatio corporis viui.* Græce dicuntur στερητικά.

Priuatio est negatio habitus in subiecto huius capace, *id est, in quo suapte natura habitus inest, vt vitiositas virtuti illi natiuæ, qua Deus hominem ornauerat, opponitur, quia est priuatio, hoc est, destructio rei bonæ in subiecto, quod reliquum est. Cæcitas est priuatio visus, vita mortis, tenebræ lucis, surditas facultatis audiendi, quia est carentia seu absentia rei bonæ in subiecto, quod ita conditũ est, vt possit esse capax illius. Non potest dici, lapidem esse cæcum, quia visus natura non est in lapide. Nec scamnum dicitur ebrium, vel cæcum, quia nunquam fuit sobrium, seu videns.*

Sic non potest dici oblitus esse artem aliquam, qui eam nunquam tenuit. Priuatio enim hic significat detractionem seu absentiã formæ, vel qualitatis cuiusdam, quæ adesse poterat, *vt cæcitas, cæcum esse.*

1. Differunt negatio & priuatio. Negatio tollit omnia simul, subiectum & accidentia, *vt equus Alexandri Magni iam nihil est negatiue.* Priuatio vero significat absentiam rei in subiecto quod reliquum est, *vt tenebræ sunt absentia lucis diurnæ in aere, qui adhuc est.*

2. Contradictio est pura ac mera negatio in omni subiecto, *Sic lapis dicitur non habere dentes, piscis non loqui.* In priuatione vero subiecta quędam natura est, secundum quam dicitur priuatio, seu priuans est habitus susceptiuum, cum, cui naturaliter inesse potest, non inest. *Sic homo dicitur esse edentulus & cæcus.*

REGVLA.

Si priuantiũ non est vnum, non est alterum, & contra, si medium non fuerit.

Dico diserte, *si medium non fuerit*, quia in gradibus remissis simul possunt esse habitus & priuatio, *vt in aere paulo ante auroram aliquid est lucis & aliquid tenebrarum. Sic vesperi est in crepusculo mixtio lucis & tenebrarum.* Sed in gradibus excellẽtibus posita priuatione, tollitur habitus, seu detracto habitu ponitur priuatio, *vt per peccatum originis & lapsum Adami in paradiso amissa est iustitia originalis.* Rom. 6. *Non possumus viuere peccato; argumẽtatio est a priuationibus, quia illo sumus mortui.* Ramus sobrietatem

tem priuationem facit, ebrietatem habitum. Respicit enim Grammaticam etymologiam, sobrius *quasi seorsim seu sine ebrio*. Sed Phil. & alij ebrietatem habitus priuationem dicunt, *id est, sobrietatis*, quia proprie tantum dicitur priuari re bona, quam habere natura debeamus, & priuatio destructio est rei, & quidem bonæ in subiecto.

In quibusdam priuantibus fit mutua commutatio, *vt videre est in tenebris & luce, die & nocte, motu & quiete*: In quibusdã non, *vt a visu in cæcitatem mutatio non fit.*

DE CONTRADICENTIBUS. CAP. X.

Contradicentia sunt contraria negantia, quorum alterum affirmat, alterum negat vbiq; *id est, in omni subiecto*. Cic. vocat, *aientia & negantia*, vulgo dicuntur *contradictorie opposita, vt sedet, non sedet; homo, non homo.*

Videndum vt vna res & affirmetur & negetur, *vt homo, non homo*, hic homo & affirmatur & negatur. *Lapis, non arbor* hic aliud affirmatur, aliud negatur. Non itaq; sunt contraria negantia. Nam in contrariis negantibus instituitur affirmatio & negatio eiusdem rei.

Non valet. *Catuli non vident vsq; in 9. diem. E. sunt cæci. Infantes non habent dentes ad anni spatium. E. sunt edentuli.* Ratio est, *quia cui nondum conuenit natura aspectus, is cæcus esse non dicitur.*

Aristoteles in postprædicamentis; *Ad priuationem alicui rei tribuendam, requiritur tempus a natura constitutum habitui.*

Non autem agitur hic de enuntiationibus contradictoriis, sed de ipsis notionibus simplicibus seu terminis incomplexis. *Ex quorũ coniunctione deinde fiunt enuntiationes ac contradictiones axiomaticæ.*

Cum e contradicentibus alterum sit affirmatum, alterum negatum, istud negatum potest rei (id quod innuit vocab. *vbiq;*) cuilibet attribui. *iustus, non iustus. Iustum esse de homine tantum dicitur, non iustum esse dici potest de rebus vniuersis, vt hic lapis est non iustus, arbor est non iusta, bellua est non iusta.* Negatio idcirco in contradicentibus non ad certum subiectum astringitur, sed rei cuilibet potest generaliter attribui.

REGVLÆ.

Quodlibet Affirmat aut Negat verum, seu; Quodlibet aut Est, aut Non est, *id est, contradicentia simul vera esse non possunt. Item*, Vnum & verum inter se conuertuntur, vt plus vno verum esse non possit. *Item*, Omne quod est, in eo ipso quod est, necesse est esse, *vt si hæc vera est, Ioannes iam scribit, falsa est contradictoria, Ioannes non scribit.* Omnis enim implicatio contradictionis est mendacium. Si qua igitur res est, necesse est esse, quia nihil est hic tertium. Hæc regula est principium firmissimum & veritatis funda-

fundamentum, quod ne ipse Deus vnquam negauit & negabit aut euertet, cum immutabiliter verax sit.

EXEMPLA.

Si homo est, falsum est, non esse. Si Hippocentaurus non est in rerum natura, falsum est esse. Corpus Christi si est circumscriptum. E. falsum est, non esse circumscriptũ. Non audiens verbum Dei, non est ex Deo, quia tantum audientes verbũ Dei sunt ex Deo. Qui non sunt in cœtu vocatorum, non sunt electi, quia tantum in cœtu vocatorum sunt electi. Et valet consecutio, quia contradictionis ambæ partes simul esse veræ non possunt.

Sic disputo contra, *Hæc enuntiatio, cras viues, neq; vera neq; falsa est: Cras non viues, neq; vera neq; falsa est. Lex igitur contradicentium non est æterna.* Respondeo, Nego antecedens; *imo propositiones eiusmodi de futuris sunt veræ vel falsæ, etsi non necessario, tamen contingenter.* Item, *Deus potest omnia, cum sit omnipotens ex sese & liberrimus. E. & potest facere, vt duæ contradictoriæ simul sint veræ & per consequens, Lex hæc non est immota.* Respondeo, ad antecedens; *Deus potest omnia, quæ ipsius essentiæ, potentiæ, veritati, iustitiæq; congruunt, Omnipotentiam igitur suam ita temperat, ne pugnet cum aliis virtutibus in ipso, nec sunt in Deo voluntates contradictoriæ.*

DE RELATIS.
CAP. XI.

Relata sunt contraria affirmantia, quorum mutua est quædam affectio,

ſeu *ſunt contraria mutua natura*, ſeu *ſunt, quæcunque hoc ipſum quod ſunt, aliorum ſunt*, vulgo relatiue oppoſita, ἀντιστρέφοντα & πρός τι dicuntur, propter *mutuam reciprocationem & conuerſionem*. ἀντιστροφὴ enim reciprocationem & viciſſitudinem ſignificat.

Diximus hæc Mixta, quia ſunt *conſentanea* & *diſſentanea*. Quamuis enim, cum mutuæ ſint cauſæ, conſentiant, tamen in eandem rem conuenire non poſſunt. Docendi ergo gratia, cum amica quædam in re ſpectatur conſenſio, *Relata*, cum inimica quædam oppoſitio, *Contraria* dicentur.

Relata ſunt Vnius vocis, *vt hoſpes, frater, ſimile, par.* vel Duarum, *vt pater filius, ſignum & res ſignata, datum & acceptum, ſeruus dominus, docere diſcere, ſocer & gener, vir & vxor, totum & partes. Pater eſt filij pater, & filius eſt patris filius.* Inter relata enim eſt mutua collatio & mutuum iter. *Hinc regula orta.*

1. Poſito relatiuo, neceſſe eſt poni correlatiuum, & deſtructo altero, deſtruitur alterum, *vt locus eſt. E. quid locatum eſſe poteſt.*

Poſito ſigno externo, pariter res ſignata interna ponitur, *vt Chriſtus porrigit mihi panem ſacramentalem, porrigit igitur corpus ſuum mihi. Valet conſequutio, quia habent ſe correlatiue ſignans & ſignatum, obſignans & obſignatum.* Sed vitanda hic maxime ambiguitas. *Primus motor eſt æternus. E etiam primum mobile eſt æternum, videlicet cœlum.* Non valet conſequutio, quia *in antecedente intelligitur primus motor potentia,*

tentia, non actu. Ab æterno enim Deus actu non mouit. Sic non valet, *Creator est æternus. E. creatura est æterna*, quia *in antecedente intelligitur creator potentia, non actu. Deus enim actu ab æternon non creauit res.*

2. Relatum non est sui ipsius relatum, sed correlatiui. *Signum igitur non est sui ipsius signũ. Sacramentum, non est sui ipsius signum. Quare cum panis in sacramento sit signum, necesse est, vt sit signum alterius, scilicet corporis Christi.*

3. Relatum & correlatum, non cadunt in rem eandem, alioquin enim essent dissentanea, *vt panis cœnæ Domini, non est proprie & vere corpus Christi.* Relatum enim non est ipsum correlatiuum, nec id quod obsignat, est res obsignata.

Hactenus de argumentis simplicibus, sequuntur comparata.

DE COMPARATIS. Cap. XII.

Comparata sunt, quæ inter se conferuntur, *Quæ tametsi ipsa comparationis natura æque nota sint, attamen alterum altero alicui notius & illustrius esse potest.*

Comparatio, Aut notis breuius indicatur, & dici potest, *Comparatio Implicata seu contracta:* Aut partibus plenius distinguitur, & dici potest, *Explicata & distincta seu plena.*

Notæ illæ sunt, *par, æquale; tam quam, instar, cum, tum, similis.*

Partes comparationis explicatæ ſeu deductæ ſunt duæ.

Prior πρότασις *propoſitio comparationis.* Eius notæ ſunt, *quemadmodum, vt, ſicut.*

Altera eſt ἀπόδοσις, *id eſt, redditio,* ſeu ἀνταπόδοσις *contraria redditio.* Eius nota eſt, ita.

Primum enim aliquid proponitur, deinde fit applicatio ſeu accommodatio.

Comparatio eſt Quãtitatis & Qualitatis.

Non intellige hic qualitatem tantum phyſicam, vel ethicã, quæ ſpectatur in habitibus, id eſt, virtutibus & vitiis ac affectibus, ſed intelligẽda eſt qualitas logica, vt ſubſtantia etiam & officia perſonarum eo referantur.

Sic diſputo contra; *Quantitates & qualitates ſunt adiuncta. E. non comparata.* Reſpondeo, per diſtinctionem. *Spectata ſimpliciter, ſunt adiuncta ſubiectorum ſuorum, comparate conſiderata, ſunt huius loci.*

Comparatio quantitatis eſt, qua res comparatæ dicuntur quantæ, *id eſt, pares vel impares, æquales & inæquales.*

Eſtq; Parium, vel Imparium.

Paria ſunt, quorum vna eſt quantitas; vel, quæ pariter inſunt, *vt cum res æque magnæ aut æque multæ ſunt.* Quantitatis enim ſpecies ſunt magnitudo & multitudo.

Argumentum igitur a paribus eſt, cum par explicatur a pari, vel vtrunq; eſt

est æque probabile, *vt nos fide iustificamur quia Abrahamus fide quoq; iustificatus est. Nos resurgemus, quia Christus resurrexit.*

Intellige comparationem parium, nec elationem habere, nec submissionem, cum sit æqualis, *vt Creusæ simulacrum est par leuibus ventis. Non minus est doctus, quam probus. Catullus. Sum tanto pessimus omnium poeta, quanto tu optimus omnium patronus.*

Notæ enim parium sunt, par, æquale: idem, quod: tam, quam: tãto, quanto: tot, quot: non magis; neque magis, non minus: quam.

Exempla sunt, Æn. 3. *Par leuibus ventis;*
Item. *Tam ficti prauiq; tenax quã nuntia veri.*
Item. *Et nunc æquali tecum pubesceret æuo.*
Æn. 6. *En huius nate auspiciis illa inclyta Roma.*
Imperium terris, animos æquabit Olympo.

Propositio & redditio distinguuntur. 4. *Catil. Cuius res gestæ atq; virtutes iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continentur.*

Sic Ouid.

Littora quot conchas, quot amœna rosaria flores,
Quotq; soporiferum grana papauer habet.
Sylua feras quot alit, quot piscibus vnda natatur,
Quot tenerum pennis aera pulsat auis.
Tot premor aduersis, quæ si comprehendere coner,
Icariæ numerum dicere coner aquæ.

Idem de arte.

Non minor est virtus, quam quærere parta tueri.

REGVLÆ.

Paria paribus conueniunt, *seu*, Si parium est vnum, erit alterum, & si parium alterum nō sit, nec erit reliquum, *vt quæ pœna aduersus interfectorem patris iusta est, eadem etiam aduersus interfectorem matris iusta videri debet. Labor noster est communis. E. & præmia erunt communia.* Hic e pari affirmato affirmatur par. *Ego non curo tuum filium, neq; igitur tu meum curabis Ter. in Adelph.* Hic e pari negato negatur par.

Si duo conueniunt eidem, paria erunt, *vt & Viues & Budæus conueniunt Erasmo. E. Viues & Budæus inter se conueniunt.*

Si parium alterum tertio conuenit, & reliquum conueniet, *vt Vulteius & Sixtinus pares sunt eruditione in Iurisprudentia. Sixtinus autem Vigelio. E. & Vulteius Vigelio.*

ARISTOTELIS AXIOmata tria.

1. Si vnum duobus pariter inesse videatur, & non insit alteri, neq; inerit alteri: si vero alteri insit, & reliquo inerit, *vt fœdus Dei cum patribus non potest fieri irritum. E. nec fœdus eius nobiscum irritum fieri potest. Iudæi puniti sunt a Deo propter idololatriam. E. nos puniemur propter eandem.*

2. Si duo eidem pariter inesse videantur, alterumq; non insit, nec reliquum inerit, si vero alterum insit, etiam reliquum inerit, *vt hominis proprium est ridere. E. nec audire est proprium hominis. Audet mentiri insigniter. E. & furari.*

3. Si

3. Si duo duobus pariter inesse videntur, & alterum alteri non insit, nec reliquum reliquo inerit; sin insit alterum alteri, etiam reliquum reliquo inerit, *vt Nihil ad me attinent tuæ res. E. etiam ad te non attinebunt meæ res. Isti ægroto licuit frui corpore Christi, cum iam cœnatus esset. E. & mihi cœnato, præsertim ægrotanti, idem licebit.*

OBSERVATIO.

Paria & contraria interdum concurrunt, *hoc est*, contraria pariter ponuntur. *Hinc regula.* Contraria contrariorum sunt consequentia, *vt si pater est filij dominus, certe filius est patris seruus.* argumentum est a paribus relatis. *Albedo visum disgregat*, argumentum est ab aduersis paribus. *Sectatur laborem. E. fugit otium & quietem.* Argumentum est a priuantibus paribus. *Iustificatus habet pacem. E. non iustificatus non habet pacem. Qui laborat, manducat. E. qui non laborat, non manducabit.* Argumenta sunt a contradicentibus paribus.

Sic disputo contra. Atqui non valet cõsequentia, *amicis est benefaciendum. E. inimicis male faciendum. Homo est animal. E. non homo non est animal. Visus est sensus. E. cæcitas non est sensus. Virginitas est bona. E. coniugium est malum.* Respondeo, concedo non valere. Nam axioma illud tantum verum & firmum est in reciprocis, in non reciprocis varium & inconstans est. *Seu*, regula illa non valet, cum pugnantia opponuntur iuxta genus aut communia attributa. Debent enim opponi iuxta differentias, quibus dissident, id est, iuxta formas & propria adiuncta,

vt bonum communiter conuenit luci & tenebris, coniugio & virginitati. Lux igitur & tenebræ, coniugium & virginitas non debent opponi iuxta illud generale adiunctum. Non valet, quãdo subiectum multorum est commune adiunctum. *Hinc regula*. Ex non sufficienti subiectorum & adiunctorum enumeratione nihil sequitur, *vt si pater est robustus, filius non est robustus. Robustus enim multis aliis subiectis est commune adiunctum. Si virtus est habitus animi, vitium non est habitus animi. Si virginitas est bona, coniugiũ est malum*. Nego hic vllam esse oppositionem, quia *& virginitas & matrimonium pariter possunt esse bona, Tam virtus quam vitium est habitus animi. Non quidem eadem res potest esse virginitas & matrimonium, sed idem tamen ipsis attribui potest*. Hinc regula, *Vnius adiuncti plura possunt esse subiecta*. Vel aliter, quæ est regula Philippi, *Pugnantia opponuntur iuxta differentias quibus dissident, non iuxta genus, aut communia accidentia.*

Ad paria pertinet inductio Socratica, *vt si optes pomum, an non optabis generossimum & optimum, si equum, an non generosissimum, respondeo maxime. E. si vxorem eliges, generosissimam.*

DE IMPARIBVS.
CAP. XIII.

Imparia sunt, quorum quantitas diuersa est, vel quæ impari ratione insunt.

Suntq;

Suntq; Maiora, vel Minora.

Maius eſt, cuius quantitas excedit, vel quod magis eſſe & fieri videtur, *vt maior eſt Dei gratia quam peccatum, magis prodeſt operari quam ſcire. Res antecellunt verbis, veritas præſtat diuitiis.*

AXIOMA ARGVmentationis.

Si quod magis ineſſe videtur, non ineſt; neq; quod minus. *Quod tantum valet in negando, & ſemper tum in conſecutione*, quanto minus, *intelligitur*. Seu, *Quod* in re maiori non valet, non valebit etiam in minori. *Sic enim legunt Perionius, Monadius & Cælius, ſed plerunq; exemplarium contextus negantes particulas non habet, vt ſi naturalibus ramis Deus nõ pepercit, nec tibi alieno parcet. Rom.* 11. *Spiritus creatus non eſt ſimul & ſemel in omnibus locis. E. multo minus corpus humanum vbiq; diffuſum eſt. Satrapes non poteſt facere tantos ſumtus, nedum tu.*

Minus eſt, cuius quantitas exceditur, vel quod minus eſſe aut fieri videtur, *vt vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum. Minus nocet coruus quam adulator. Non tam nocet ſitis quam crapula.*

AXIOMA ARIſtotelis.

Si quod minus ineſſe videtur, ineſt; etiam quod maius. *Quod tantum valet in affirmando atq; tum in conſecutione*, quanto magis, intelli-

gitur. Seu, *Quod* valet in re minori, valebit etiam in maiori. *Luc.* 11. *inquit Christus. Si vos, cum sitis mali, nostis dare bona filiis vestris, quanto magis pater vester cœlestis dabit spiritum sanctũ poscentibus. Item in Math.c.6. Si Deus lilia curat, curabit etiam homines.*

COLLATIO HVIVS DOctrinæ cum vltima editione Rami.

Aristoteles & Ramus, vt & alij logici, inter se non vsquequaq; consentiunt in loco maiorum & minorum.

1. Aristoteles nominat periphrastice, id est, cum quæritur conclusio aduerbialiter, ἐκ τοῦ μᾶλλον, ἐκ τοῦ ἧττον ὑπάρχοντος, *ex eo quod magis & ex eo quod minus inest.* Ramus appellat simpliciter & nominaliter Maius & Minus.

2. Aristoteles inter se comparat pariter sententias. Ramus vero res ipsas, *id est*, Aristoteles respicit complexum. Ramus vero simplices terminos, *vt pateris aliquid propter corpus. E. etiam pateris aliquid propter animum.* A minori est Aristoteli hoc argumentum, quia sententia antecedens, minus probabilis est, consequentis vero magis probabilis. Ramo etiam est a minori, quia corpus vilius est, & minoris pretij quam animus.

3. Aristoteli in confirmatione maius est, quod habet ὕπαρξιν subsistentiam faciliorẽ, seu quod difficilius inest, seu quod minus probabile est, etsi res ipsa sit minor. Minus vero ei est, quod habet ὕπαρξιν difficiliorem, seu quod difficilius

ficilius inest, seu quod minus probabile est, et si res ipsa sit maior, *vt Deus potuit ex nihilo condere cœlum & terram. E. etiam ex aqua potuit facere vinum. Passi estis grauiora. E. poteritis etiam hæc leuiora mecum ferre. Argumenta sunt Aristoteli a minori ad maius. Etsi enim cœlum & terra sunt maiores res, quam vinum vel glebula, tamen minus verisimile est condere cœlum & terram, quam vinum aut glebulam.* At Ramo maius est præstantius, fortius, plus, grauius (*non semper mobile, sed etiam virtute, qualitate & vsu*) quod maioris pretij est & dignitatis. Minus vero vilius, leuius, ignobilius, imbecillius. *Ita ante dicta duo exempla continent argumenta a maiori ad minus.*

4. Aristoteli argumentatio a maiori procedit negando tantum, a minori affirmando tantum. At Ramo procedit & affirmãdo & negando. Huic enim vtrumq; a maiore est, *vt si Deus nobis dedit filium suum, dabit etiam bona corporis. Si mundus non recipit Christum, multo minus Apostolos.*

Mihi sententia Rami magis probatur, vt argumentum a maiori sit, vbi res maior est, argumentum vero a minori contra. Quomodo etiam e recentioribus Rodolph. Agricol. & Wilichius iudicant. Et Cic. in topicis rem maiorem & minorem diserte nominat. Quod si Aristotelem sequimur interdũ mutata qualitate enũtiationis, idem colligemus a maiore & minore. Vt a maiore erit; *Christus non fuit liber a tentationibus. E. multo minus ego homuncio.* Sic a maiori erit; *Hominis testamentum mutari non debet. E.*

multo minus Dei testamentum. Item, *Christus fuit obrutus tentationibus. E. multo magis ego homo.* A minori. *Humanum testamentum confirmatum testatoris morte, ratum manet. E. multo magis Dei testamentum ac promissio valebunt.* Sed quia ἰσοδυναμία, æquipollentia non mutat genus argumenti, nobis prius vtrumq; a maiore est. Posterius vtrumq; a minori. Interim per me vnicuiq; licuerit sequi, quod voluerit.

DE SIMILIBVS.
CAP. XIIII.

Comparatio qualitatis est, qua res comparatæ dicuntur quales.

Estq, Similium, aut Dissimilium.

Similia sunt, quorum vna & eadem qualitas.

Similitudo proprie est qualitatis, paritas quantitatis, *vulgo confunduntur sæpe.* Aristoteles, *inquit Oldendorpius,* in topicis legalibus erudite similitudinem definit, *esse vnitatem qualitatum.* Nam eadem substantia facit easdem res.

Exempla similitudinis contractæ, notæ participis sunt, *Homo similis est vmbræ seu bullæ. verbum Dei pio est instar lucernæ.* Solus Achilleo tollere more potest.

Exempla contractæ, notæ expertis. *In metaphora sæpissime est similitudo obliqua seu contracta notæ expers, vt Cic. Honos alit artes. Intellige artes esse honoris tanquam alumnas, omnesq;*

incen-

incenduntur ad studia gloriæ,intellige quasi incendi. Atq; hinc est quod dicitur; Metaphora est similitudo ad vnum verbum contracta.

Sic disputo contra. *Si metaphora est similitudo ad vnum verbum contracta, vt dicis,& Talæus ex Cic.definire videtur,Metaphora erit argumentum non tropus. Sed consequens absurdum. E. & antecedens.* Respondeo, esse concisam locutionem, cuius hic sit sensus; *Metaphora est tropus, quo similitudo contrahitur ad vnum verbum, ne argumentũ & tropus confundantur, seu ne metaphora fiat locus dialecticus,cũ Rhetoris sit propria.*

Exempla explicatæ similitudinis sunt Disiuncta,aut Continua.

Similitudo disiuncta est, in qua quatuor termini re ipsa distinguuntur, vt *Tale tuum carmen nobis diuine Poeta,quale sopor fessis in gramine.eclog.5.* Hic 4 termini sunt, *carmen, auditor, sopor,fessis,*quemadmodum *sopor* se habet ad *fessum*, sic *carmen* se habet ad *auditorem.* Sed *sopor recreat fessum.* E. *& dulce carmen auditorem recreat*, vulgo dicitur syllogismus proportionalis, *vt panis ad ventrem, sic corpus Christi ad mentem. Panis autem nutrit ventrem. E.corpus Christi alit mentem.*

Continua est, in qua tres termini re ipsa distincti sunt, *vt palma inuicta, sic veritas, vt rex impius, sic populus. In protasi semper est argumentum, in apodosi quæstio.* Si dicas, *talis rex, qualis populus,* vnum terminum continent, *vt in syllogismo medius terminus repetitur, sic in conti-*

nua similitudine medius seu secundus terminus repetitur, vt Luna est mutabilis sic stultus, sicut primus terminus se habet ad secundum, sic secundus se habet ad tertium, vulgo dicitur propositio, *vt magistratibus leges, ita populo præsunt magistratus.* Tres hic termini, *lex, magistratus, populus.*

AXIOMATA.

1. Si similium sit vnum, erit & alterum. *Similium enim idem est iudicium. Psalm. 1. ait, Pio bene erit. Argumentum a similibus, quia virescit vt palma ad fluuium & sic oportune fructus fert.*

Huius loci sunt inductiones ex pluribus similibus, *vt si miles, si vinitor, si pastor, imo si bos etiam pascitur ex labore suo. E. inquit Paulus & Barnabas similiter sustentari possumus. 1. Corinth. 9.*

Eodem pertinent apologi, fabulæ, parabolæ & exempla similia, *vt aues sibi non nidificant, oues sibi non ferunt lanas. Boues sibi non ferunt aratrum, sic nec Virgilius sibi composuit carmen, quod poeta Batyllus surripuit, pro eo præmium accipiens magnum.*

2. Si quædam similia fuerint ἀνάπαλιν, id est, ordine inuerso, similia erunt, *vt quemadmodum se habet aurum ad ignem, sic fides ad periculum. E. vt fides ad periculum, sic aurum ad ignem. Hic inuertitur ordo προτάσεως & ἀποδόσεως. Si sic vero inferas. E. vt periculum ad fidem, sic ignis ad aurum, hic inuertitur non tantum ordo προτάσεως & ἀποδόσεως, sed etiam termini.*

Si quædam similia fuerint alterne ἐναλλάξ, similia

milia erunt. *Quemadmodum aurum se habet ad ignem, sic fides se habet ad periculum. E. vt aurum se habet ad fidem (vtrunq; scilicet probatur) sic se habet ignis ad periculũ.* Item, *vt corpus hominis ad caput, ita ecclesia ad Christum. E. vt corpus hominis ad Christi ecclesiam, sic caput hominis ad Christum.*

Hæ duæ regulæ intelligantur de similitudine continua.

DE DISSIMILIBVS.
CAP. XV.

Dissimilia sunt comparata, quorum qualitas est diuersa. *Cic. & differentiam & dissimilitudinem vocat.* Vocantur & sępe ἀντίθετα, *vt quamuis ille niger, quamuis tu candidus esses.* Hic ex alterius diuersa qualitate, alterius qualitas ostenditur. Sic *non talis, qualis bestia, id est, hominis natura est dissimilis bestiæ. Sic non eadem ratio est corporis & animi. Multum interest inter sapientem & stultũ. Dissimile est genus hominis.*

Exemplum explicatæ dissimilitudinis.

Non vt in contractibus merx pro certo pretio dari solet, seruata qualitate Arithmetica, ita vita æterna redditur pro operibus seu meritis condignis, perinde sicut opera humana sint par compensatio pro ea vita, quæ sola vita nominanda. Non quemadmodum vina diuturnitate corrumpuntur, sic etiam fides longinquitate temporis corrumpitur.

AXIOMA.

Si dissimilium sit vnum, non est alterum, *vt si Deus tuetur suos, non sicut equus fallit. Psal. 33.*

Tritum & hoc axioma est; Dissimilium diuersum est iudicium, *vt histrix in nullum iaculatur suas spinas, nisi lacessitus, at scura in quemuis sua dicta conicit. Quæstio est Ioan.8. Bonus pastor custodit oues, argumentum a dissimili. Non enim vt mercenarius, cum lupum videt, fugit.*

Cum dissimilia multiplicantur ad aliquid inferendum, iterum Inductio dicitur.

Huius loci sunt etiam distinctiones, cum dissimilitudo explicatur plenius, vt *Phil. 2. Cicero inter pacem & bellum multum interest. Pax est tranquilla libertas. Seruitus postremum malorum omnium, non modo bello, sed morte etiam repellenda. Quintil. lib. 5. cap. 11. Brutus occidit liberos proditionem molientes, Manlius virtutē filij morte mulctauit.* Catullus,

Soles occidere & redire possunt,
Nobis cum semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua vna dormienda.

Dissimilitudo solis & vitæ; *Sol sæpius abit reditq́, at vita semel amissa nunquam redit.*

DE CONIVGATIS.

CAP. XVI.

Hactenus prima argumenta exposita sunt, sequuntur orta de primis, quæ ex antecedentibus intelliguntur.

Et sunt Simpliciora, *vt coniugatio & notatio*, vel Composita, *vt definitio & distributio.*

Illa magis Nominalia : hæc magis Realia sunt.

Coniu-

Coniugatio est nominũ, ab eodem principio ortorum, varia deductio, συζυγία.

Coniugata igitur sunt nomina ab eodem principio varie deducta, παρώνυμα, σύζυγα, σύστοιχα, id est, cognata.

Aduerbia item e nominibus nata vocat πτώσεις casus Aristoteles eodem loco. Sed nimis anguste. Nam etiam casus debent dici topici, casus obliqui, non nominum. Imo etiam gradus comparatiuus & superlatiuus. *Sic iustitia, iustus & iuste sunt cognata. Virtus, vir bonus, & ex virtute viuere, similiter.* Sic arguit Nicodemus; *Nemo potest senex renasci. E. impossibilis est renascentia. Si diligitur iustitia, etiam iustus. Sed prius verum. E. posterius.*

AXIOMA.

Si coniugatorum sit vnum, erit & reliquum, & contra, *vt si Christianus est, viuet Christiane, sin minus, non ita viuet.* Posita enim causa sequitur effectus. *Est igitur argumentum a coniugata causa.* Exempla sunto, *Ambulans mouetur. E. ambulatio est motus.* argumentum a coniugatis paribus. *Si is, qui dialectice disserit, artificiose inuenit & disponit, Dialectica quoque est artificiosa inuentio & dispositio*, iterum argumẽtum a coniugatis paribus. *Homo est. E. humanus, a subiecto ad adiuncta.*

THEMA.

Nullus liber erit si quis amare velit. Argumen-

tum a coniugata cauſa. *Libertas quoniam nulli iam reſtat amanti.* Enthynema hic tale eſt. *Nulli amanti eſt libertas. E. nullus amans eſt liber.* Hic ſubſtantiuum dicitur abſtractum, adiectiuum vero concretum. *Paul. Gal. 6. Per crucem Chriſti mundus mihi eſt crucifixus, & ego mundo. E. nolo gloriari niſi in cruce Chriſti.* Argumentum ſumtum a coniugato effectu. *Non viuit regie, igitur non habet animum regium.* Valet argumẽtum, quia a quo vnum coniugatorum remouetur, ab eo remouetur & alterum. *Non habet regnum, igitur non eſt rex. Homo ſum, nihil igitur humani a me alienum puto.* Argumentum a coniugato ſubiecto. Sic Cic. arguit, *Antonius ne quidem me, vt conſularem tractauit. E. neq; ego tractabo ipſum vt conſularẽ.* Argumentum ſumtum a coniugato adiuncto. *Conſuli enim, vt ſubiecto adiungitur quod ſit conſularis, id eſt, quod fuerit conſul, habuerit dignitatem conſulis.*

ADMONITIONES.

In coniugatis primo vitanda eſt ambiguitas ac confuſio cauſæ per ſe & per accidens, *vt oratores perturbarunt Reſp. E. ars oratoria eſt perturbatio Reip.* Antecedens habet ambiguitatẽ inſidioſam, non enim determinatur ſeu expreſſe dicitur, an per ſe hoc faciãt oratores, id eſt, quatenus ſint oratores, an vero per accidens, id eſt, quatenus ſunt homines improbi. *Iuriſperitus eſt χρηματιστικὸς, id eſt, auceps pecuniæ, igitur iuriſprudentia eſt χρηματιστική. Vitioſa eſt cõnexio. Iuriſperitus enim per ſe ſacerdos & miniſter iuſtitiæ, ſed quod inhiat lucro, id accedit per accidens.*

A con-

A coniugatis vnius atq; alterius actionis ad coniugatum habitus, non valet consecutio, *vt dicitur*, vna hirundo non facit ver, *vt ebrius est. E. est ebriosus. Hoc factum huius viri est iustum, & hic vir est iustus. Tu iam mentiris. E. es mendax, mendacem esse est habitus.* Quæritur cur non valeat, *Deus est mortuus. E. diuinitas est mortua.* Respondeo, quia *antecedens est modificatum per synecdochen, quia non totum Dei patitur; seu Deus patitur secundum humanam naturam, seu secundum id, quod pati potest. Christus homo est vbiq; E. humanitas est vbiq;* Non valet, quia *homo, ista persona, quæ Deus est & homo est, est vbique secundum id, quod vbiq; esse potest.*

DE NOTATIONE.
CAP. XVII.

Notatio est, quæ ex origine nominis notatam rem significat, *vulgo etymologia. Ram. est nominis interpretatio.*

Nomen est nota rei (seu instrumentum significande rei, id, quod notatum notatione est. *Aristoteles etiã top. 2. & Rhet. 2. vocat sicut & Philip. definitionem nominis.*

Differunt notatio & cõiugatio. 1. Nam coniugatio seu deriuatio confert vocem cum voce, & spectat ortorum ab vno variam commutationem. *Seu est*, quasi riuulorum ab vno fonte deductio, *vt sapiens, sapienter, sapientia.* Notatio vero vnius tantum vocis significatum explicat, idq; ex sua origine. 2. Deinde coniugata pos-

ſunt eſſe plurima, ſed notatio nominis tantum vna eſt, vel etſi plures ſint pro diuerſis doctorũ iudiciis, vna tamen in præſenti negotio adhibetur. 3. Notatio ſignificat rem ſignificatam ex nominis origine. Coniugatio vero ſignificat rem cognatam ex ſimilitudine vocum.

OBSERVATIO.

Coniugata accipienda ſunt generalius, quam deriuata Grammaticorum. *Nam ſunt quædam coniugata non voce, ſed ſignificatione, ea etſi non ſonent idem, idem tamen ſignificant, vt huic ineſt virtus. E. eſt probus. Virtuoſus enim Latine non dicitur. Tenet hunc ſomnus. E. dormiuit, Nam ſomniculoſus aliud ſignificat.*

OBIECTIO.

Etymologia eſt pars Grãmaticæ, igitur non logicæ. Reſpondeo, per diſtinctionẽ. *Etymologia logica vocum rationem interpretatur ex rerum ſignificatarum natura & viribus, vt cauſis vel aliis argumentis. Grãmatica vero vocum rationẽ interpretatur ex ſuis accidentibus ſeu adſignificantibus & terminatione & ipſarum vocum finibus. Dialectica etymologiam requirit ad rem arguendam. Grammatica ad ſermonis puritatem in rebus exprimendis ſignificandam.*

Exemplum Notationis.

Iulus dicitur Æneades ab Ænea. Virtus dicitur a vi mentis. Notationes ſunt a cauſa. *Scipio dicitur Africanus a deuicta Africa. Prudentia a prouidendo.* Notationes ſunt e factis. *Melitæi dicuntur paruuli canes a Melita inſula.* Notatio e ſub-

e ſubiecto. *Doryphori dicuntur ſatellites* ex adiunctis ſcilicet *lanceis quas ferunt*. *Chriſtus dicitur agnus* e comparatis, quia *fuit victima pro peccatis*. *Capria dicitur, quod capri ſit ſimilis. Via lactea quod ſit ſimilis lacti, quod ad candorem attinet*. eſt notatio e cõparatis. *Dis, Deus inferorũ quaſi minime diues. Mundus quaſi minime mundus.* Notatio eſt e diſſentaneis ſeu κατ' ἀντίφρασιν. Sic *Parca quod nulli parcat.* Notatio e diſſentaneis, *a viro virtus eſt mutuata nomen*, Notatio e ſubiectis. *Tutores ex re ipſa nomen acceperunt quaſi tuitores & defenſores. Sicut aeditui dicuntur, quia aedes tuentur.*

AXIOMA.

Cui notatio ſeu interpretatio conuenit, eidem & nomen ſeu interpretatum, & contra, *vt ſi hominem occidit Cainus, eſt homicida. Sin minus non eſt.*

Cui nomen tribuitur, eidem & nominis notatio; & contra, *vt in hoc viro eſt* ταπεινοφροσύνη, *id eſt, humilitas. E. in eo eſt* ταπείνωσις φρονήματος *demiſſio animi. Hic lapis non eſt* αἱματίτης. *E. non ſitit ſanguinem.*

Hæc axiomata valent, cum interpretatio & interpretatũ æque late patent, item cum notatio certa eſt. *Nam ſæpe incertã eſſe Plato in Cratylo monet.* Non valet, cum nomen eſt anguſtius notatione, vel cum notatio pluribus conuenit, vel cum nomen non conuenit rei, ſæpe enim rebus nomina non conueniunt. *Lyſidicus vocatur. E. omnia iura diſſoluit.*

OBSERVATIONES tres.

1. Allusiones vocabulorum distinguendæ sunt a veris notationibus. *Testamentũ Iustinianus iuuẽtutis instituẽdæ gratia ex eo deducit, quod sit testatio mentis. Valla deridet hoc, & recte quidẽ, si notatio esse dicatur. Sed Iurisperiti non etymologiam, sed allusionem vocabuli dicunt.* Item, *quibus præcipua cura incumbit, & qui magis quam cæteri diligentiam & solicitudinem rebus, quibus præsunt, debent, hi* magistri *appellantur.*

Allusionem vocant interpretationem vocabuli ex alterius vocis similitudine seu consonantia. Vnius rei possunt esse variæ allusiones.

2. In notatione non semper habetur ratio primitiui seu primogenij Grammaticorũ. *Nam aliquando etiam contra Grammaticam notatio requiritur, vt l. 1. in princ. ff. Vlpianus ait, iuri operam daturum prius nosse oportet, vnde nomen iuris descendat. Est autem a iustitia appellatum. Valla hãc notationem reprehendit; putat enim iustitiam a iure dici, idq; verum est, si Grammatica spectetur deriuatio. Sed Vlpianus rem ipsam nomine notatam seu voce significatam spectans, veram originem iuris & causam explicat, hoc est, ius ait, descẽdere re ipsa & appellari a iustitia, id est, a constanti & perpetua voluntate seu cognitione honestatis, quam Deus indidit cordibus hominum, vt intelligas naturalem iustitiam ac æquitatẽ esse iuris causam. Notatio itaq; est a causa. Virtus a viro deducitur, Grammatica est etymologia, vt enim a rus est rusticus, estq; a ius iusculum, sic a vir est virtus. At*

tus. At si dicas vir a virtute dicitur tanquam adiuncto, notatio est logica, quia in viro maxime esse & lucere debet virtus. Rursus si dicas virtus dicitur a viro tanquam subiecto, itidem logica est etymologia.

Huius loci est, cum accurratius vrgetur, quod scriptum est aut dictum, item germana significatio vocis, aut vis casus, numeri, generis, modi, temporis. *Sic Piso verbo interdicti, vnde tu illum deiecisti, vrget, cum obstitisset solum Ebutius, quia qui obstat ne aliquis in locum veniat, ille certe non eiicit loco. Dicat aliquis te amisisse cornua, tu responde, excutiens vim vocabuli, qui amiserim aut potuerim amittere, qui nunquã habui. Pandacius obiicit Herothetæ in Dialog. P. Martyris, Tu conaris corpus Christi e pane cœnæ eiicere: Respondet Herothetes, nimis fatuus essem, si niterer alicunde abiicere aliquid, quod adesse non puto. Sic Paul. Gal. 3. Promissionem Dei vrget. Benedicentur in semine tuo. Genes. 2. contendens scilicet in semine scriptum esse, non in seminibus, vt vnus Christus intelligatur.*

3. Sed non semper valet consecutio a communi vocis significatione. *Nam interdum res aliæ notantur quam verba ipsa simpliciter significant, interdum etiam est Enallage quædam. Christus ait, discipulis suis, quos ablegat ad Euangelium enuntiandum; Nolite portare sacculum neq; peram neq; calceamẽta, & neminem per viam salutaueritis. Alium hic sensum accipere par est, quam verba sonant. Christus enim nihil aliud vult quam discipulos expeditos & alacres omnibus impedimentis*

remotis, obire debere munus Euangelicum.

REGVLA.

Cum τὸ ῥητὸν absurditatem parit, id est, pugnat principiis natura notis, experientia vniuersali aut articulis fidei quærenda est concinna interpretatio.

DE DISTRIBVTIONE.

CAP. XVIII.

Distributio est, totius in partes distinctio.

Per totum intellige genus & integrum, per partes, species & membra.

Totum & partes necesse est, vt accipias valde generaliter & pro vere & quasi toto, si distinctionem vocis ambiguæ huc referri velis. Nam in distributione ex adiunctis & subiectis vox totius & partis secundarie & improprie quodammodo accipitur.

Estq; Nominalis & Realis.

Nominalis est vocis ambiguæ in sua significata distinctio, *vt libertas alias immunitatem ciuilem, alias spiritualem significat.*

Si cui non placet hanc distinctionem vocis in significata sua referre ad distributionem, ille referat ad nominis interpretationem seu definitionem nominis, quanquam id improprie.

Sic arguo. *Lexici seu Grammatici est distinguere vocabula πολυώνυμα, id est, ambigua. E. distinctio hæc nominalis non logica.* Respondeo, hoc non sequitur. *Nam etsi lexicus seu Grammaticus distinguat æquiuoca non vero dialectica; tamen*

Diale-

Dialecticæ non Grammaticæ eſt præcipere, ambigua eſſe diſtinguenda. Sic Dialectica non tradit proprias & perſpicuas voces, & tamen præcipit propriis & perſpicuis vocibus eſſe definiendum.

Diſtributio realis eſt Partitio vel Diuiſio.

Partitio eſt, diſtributio integri in membra ſua.

Sic arguo. *Diſtributio realis etiam eſt e ſubiectis & adiunctis, Diuiſio autem generis in ſpecies tantum. E. hæc diſtributio eſt manca & mutila.* Reſpondeo, minime vero. *Nam diſtributio ex adiunctis & ſubiectis ſub diſtributione comprehenditur. Nam diuiſio generis in ſpecies poteſt fieri vel per cauſas, vel per ſubiecta, vel per effecta, vel per adiuncta, vt corporum alia ſunt terreſtria, alia cœleſtia. Hic diuido genus in ſpecies per ſubiecta. Animalium aliud eſt capax diſciplinæ, aliud non. Capax eſt diuiſio generis in ſpecies per adiuncta.* Quarta forma Philippi (*quam vocat diuiſionem ſubiecti in accidentia*) non eſt diſtributio, ſed tantum enumeratio adiunctorum, *vt cum dico, Imperator habet ſcientiam militarem, virtutem auctoritatem & felicitatem, non diſtribuo Imperatorem, ſed enumero eius adiuncta & ſuppedito materiem deſcriptioni.* Tum autem eſſet diuiſio ex adiunctis, ſi dicerem, Imperatorum alij ſunt virtute præditi, felicitate & auctoritate, alij minus.

Partitio eſt diſtributio integri in membra, *vt oratio conſtat rebus & verbis. Mundus æthere*

& elementis. Æther autem decem orbibus. Hic totum est res effecta: partes vero causæ. Itaq; partitio integri in membra, est distributio e causis: membra enim integrum constituunt.

Diuisio est, distributio generis in species.

Estq; Primaria, vel Secundaria.

Primaria fit per Nomina specierũ, *vt animalium aliud homo, aliud bestia*, vel per Formas, si specierum nomina desint, *vt animalium aliud est ratione præditum, aliud irrationale.*

Secundaria fit per aliquid seu differentia quadam, quæ vicẽ speciei formæve explet, fitq; per alias causas, vel per effecta, vel per subiecta, vel per adiuncta, *vt vindicta est ordinata, seu fit iuxta leges per Magistratus: seu inordinata & fit sine auctoritate a priuatis.* Diuisio generis in species per causas. *Bonorum aliud expetitur per se, aliud per aliud. Discipulorum alij differunt, alij canunt, alij numerant, alij aliud literarum genus tractant.* Diuisio ab effectis. *Apud medicos differentiæ morborum illustres a subiectis, id est, locis sumuntur. Animalium aliud est* ἔλογον *quod loqui potest: aliud* ἄλογον *mutum* ab adiunctis. *Virtutes aliæ sunt intellectus, aliæ voluntatis.*

AXIOMA.

Posito toto recte infertur quælibet pars, *vt integrum. Habet pœnitentiam. E. & fidem. Magister est. E. non tantum exercebit, sed etiam docebit.*

Hic

Hic per totum intellige *integrum & genus simul*, per partes *membra & species.*

DE INDVCTIONE.

Inductio est collectio, vel enumeratio partium ad constituendum totum, *vt ad Rom.* 13. *Qui habent dilectionem, legi satisfaciant.* Argumentum ab inductione seu distributis factis, *non enim adulterium committunt, non occidunt, & si quid est aliud. Dauid Psal.* 119. *negat Deum posse effugi*, argumentum ab inductione partium, id est, a distributis subiectis, *quia in cœlo est, apud inferos est, in vltimo fundo maris est, & nusquam non.* Philippus inductionem *speciem* facit *argumentationis*, sed *enthymema* est, cuius argumentum sumitur ab enumeratione partium. Omnes enim partes præcedentes ante conclusionẽ quasi antecedens sunt.

OBIECTIO.

Obiiciat aliquis, *quomodo partes sunt subiecta, & subiecta sunt partes?* Respondeo, subiecta hic dicuntur partes propter enuntiationem, proprie partes non sunt. Quia subiectum potest ab adiunctis saltem cogitatione separari, partes vero a toto separari non possunt. Sunt igitur subiecta quasi partes ob causam ante dictam. Cic. pro lege Manil. *Pompeius est bonus Imperator*, argumentum ab ἐπαγωγῇ seu enumeratione partium, id est, distributis & enumeratis adiunctis, *quia præditus est scientia rei militaris, & virtute & auctoritate & felicitate. Hic est bonus Episcopus* (ab inductione partium seu distributis ad-

iunctis) *quia est in eo sanctitas, grauitas rerum diuinarum, scientia, facultas docendi.*

REGVLA.

Positis partibus omnibus (*membris vel speciebus*) totum (*integrum vel genus*) erit, & contra. *Nam siue omnino nullæ sint, siue vna tantum deest, siue aliquot, certe totum non erit.* Hoc vulgo ita dicitur; *Ex enumeratione sufficientiũ partium vel specierũ, recte infertur totum vel genus & contra.* Imperfecta enim inductio est vitiosa, cum proferri potest repugnans exemplum, seu dari instantia. Non itaq; valet illatio; *Athanasius Episcopus fuit cœlebs, Basilius similiter, Ambrosius item & alij innumerabiles. E. omnes.* Respondeo, est elenchus inductionis, quia *dari potest instantia, cum exempla coniugatorum non pauca sint.*

REGVLÆ DE DIstributione.

Nihil legitima distributione commodius, nihil admirabilius, cum Plato & eius vestigia se quasi numinis sequi ait, qui recte partiri sciat, & Diuus Paulus iubeat Timotheũ ὀρθοτομεῖν, *id est, recte diuidere. Verum enim vero sæpe pingui Minerua auctores videas partiri & diuidere.* Quare distributiones rei sunt Perfectæ accurataeq; & philosophicæ magis: vel Minus accuratæ seu populares.

De perfectioribus igitur tradimus has regulas.

1. Multiplicia duntaxat distribuendo didu-ci debent, *vt Deus est* ἀμέριστος *indiuiduus, in partes igi-*

tes igitur diuidi non debet. Omnipotentia soli naturæ diuinæ conuenit, non igitur diuidi potest, vt dicatur omnipotentia alia est Deitatis, alia humanitatis.

2. Partes distributionis debent esse contrariæ, ne vnum membrum in altero contineatur. *Si dicas entium, aliud substantia, aliud accidens, aliud quantitas; hic pars vna in altera includitur, nimirum quantitas in accidente, & quantitas & accidens sunt consentanea.*

3. Perfectissima est distributio, quæ fit per διχοτομίαν, hoc est, distributio quoad fieri potest debet esse bimembris, atq; ita constare contrariis immediatis, *vt casus alius est rectus, alius obliquus.*

4. Membra distributionis ex vno genere, id est, argumento sumi debent. *Non igitur satis bona est hæc; Bona alia sunt animi, alia corporis, alia fortunæ. Priora enim membra sunt subiecta, posterius est causa efficiens, quia fortuna credita est ab Ethnicis elargiri quædam bona.*

5. Quicquid distribuitur entium, *(id est, in ea quæ sunt)* non in fictione *(id est, non entia)* diuidi debet. membra enim diuisionis naturam sequi debent eius, quod distribuitur, *vt animal non est diuidendum in Centaurum, Chimeram & piscem. Cum enim Centaurus & Chimara non sint, non possunt esse species animalis. Vbiquitas male diuiditur in personalem, localem & repletiuam. Localis enim vbiquitas nec in, nec extra rerum naturam est. Nulla enim res nec spiritualis nec corporalis est vbiq; locali præsentia. Diuisio itaq; ista nō*

est dialecticæ legibus consentanea. Eiusmodi erunt & hæc, si quis manducationem Christi triplicem velit facere, carnalem seu Capernaiticam, sacramentalem & spiritualem. Carnalis enim fictitia est.

Quidam in Hispania concionabatur, Monachorum alios esse optimos, vt Franciscum & Dominicum in cœlo: alios pessimos adhuc viuentes: alios vero nec bonos nec malos, vt pictos, quasi vero picturæ essent ipsæ res & picti monachi essent veri monachi.

6. Summatim, in diuisione nihil prætermittendum, nihil superuacaneum adhibendum: *seu* distributio non debet esse angustior aut latior distributo: *seu* distributio & membra distributionis sint reciproca, seu ἀντιστρέφοντα conuertibilia. Membra distributionis non debent dissentire ratione tantum, sed realiter.

DE DEFINITIONE ET DEFINITO. Quod distributionis locum præcedere debuit.

CAP. XIX.

Definitio est ratio explicans, quid sit res.

Non est definitio perfecta sed descriptio. Genus commodius non succurrit, tamen est commodius quam oratio, vt genus longe remotius.

Estq; duplex Nominis & Rei.

Nominalis compreheditur sub notatione.

Realis

Realis est Primaria, vel Secũdaria.

Primaria vulgo essentialis, cum recitantur causæ materiales & formales: sin aliæ, secundaria, vulgo causalis est. Collecta ex partibus essentialibus materia & forma est primaria, sed collecta ex coaceruatione partium integrantium, secundaria est. Collecta ex accidentibus item secundaria est.

Definitio perfecta seu primaria vel accurata est, quæ cõstat e genere & differentia specifica, hoc est, materia & forma.

Intellige autem vocabulum essentiale generaliter. Nam definitio hæc non tantum substantiis, verum accidentibus etiam conuenit, virtus est actio honesta, vt dicit Aristoteles, Musica est ars canendi. Nam sæpe fines sunt pro formis. Nihil autem definitione recta optabilius, quam idcirco Plato clarissimo soli comparat.

AXIOMA.

1. Si definitio propria sit, etiam definitum erit; & contra, *vt si lætum de Christi meritis nuntium affert Euangelium, docet, sin minus non docet. Cic. in paradox, nemo liber nisi sapiens.* Argumentum a definitione, quia *libertas est potestas viuendi, vt velis, quatenus non prohiberis lege.*

Minus propria definitio dicitur descriptio, quæ ex aliis etiam argumentis rem explicat, *vt manus est organum* δόσεως καὶ λήψεως descriptio est a fine. *Theologia est rerum acrarum doctrina. Physica est rerum, quæ natura*

constant scientia, descriptiones sunt e subiectis. *Animus est qui viget, qui sentit, qui meminit, qui regit, qui præsidet & moderatur, & mouet id corpus, cui præpositus est.* Descriptio e factis. *Iehoua est Deus misericors & exorabilis, ad iram tardus, & ad clementiam & auxilium propensus, qui clementia in mille usque ætates vtitur, peccata condonans, in pœna autem irroganda parentum culpam in natos & nepotes ad tertiam & quartam stirpem persequitur.* Descriptio est ex adiunctis. *Stulte quid est somnus gelidæ nisi mortis imago?* Descriptio a simili.

Tales multæ descriptiones sunt apud Poetas præsertim & historicos, quæ dicuntur τοπογραφίαι, χρονογραφίαι, προσωπογραφίαι, quæ si euidentes admodum sunt, dicuntur ὑποτυπώσεις effigurationes, quibus rei forma depingitur.

REGULA.

Cui conuenit descriptio, eidem & res descripta.

DE DEFINITO ET DEscripto. CAP. XX.

Argumentum. Sicut a definitione ad definitum, ita retro vicissim etiam tractatur: id est, a re definita ad descriptionem, *vt si docet Euangelium, necesse est nuntium de Christi meritis lætum afferat; & contra.* Item a re descripta ad descriptionem, *vt si homo. E. animal mortale capax disciplinæ. Argumentum a descriptis.*

OBSER-

OBSERVATIONES SEV LEges quædam de definitione.

1. Ne definitio, definito sit angustior, aut latius vagetur, (*id est, ne pauciora aut plura complectatur quam definitum.*) Debet cum definito reciprocari, tum affirmate, tum negate, *vt homo est animal rationale & quicquid non est animal rationale, non est homo.* Si definitio cõuertitur cum definito negate, non peccat angustia, sin minus peccat, *vt peccatum est dictum, factum, vel cogitatum cõtra legem Dei.* Definitio vitiosa est. *Hæc enim conuersio non valet, quicquid non est dictum factum, vel cogitatum contra legem Dei, non est peccatum. Hoc enim si verum esset, infantes expertes essent peccati, cum nihil faciant, dicant, cogitent.* Si definitio nequit conuerti affirmate cum definito, nimia amplitudine peccat, *vt homo est animal bipes, vitiosa est, quia conuersio affirmata non valet, quicquid est animal bipes, est homo. Pœnitentia salutaris est plangere peccata, & plangenda non facere deinceps,* Non valet consecutio, *si fiat conuersio affirmata & definitio latius vagetur quam definitũ, cum etiam conueniat pœnitentiæ Iudæ & Sauli, quæ caret fide & specie, venia & gratia.*

2. Non satis logicum est, idem definire per idem. *Specialiora enim debent definiri per generaliora, communiora.* Item vitiosum est definire notum per æque notum (*dicitur enim petitio principij*) *vt ensis est gladius. Dialecticus est logicus. Motus est agitatio.* Attamen cum alterum synonymorum altero clarius, vitio eximitur di-

citurq; κατ' ἀντίληξιν, *vt contritio est pauor & dolor cordis ortus ex agnitione iræ Dei.*

Noua lex.

3. Vitiosa est in definitionibus ὑστερολογία, *vt circumflexus est tonus ex graui & acuto conflatus. Illegitima est propter inuersionem ordinis. Nam circumflexus fit ex acuto & graui.*

Alia.

4. Oratio definitionis sit propria & perspicua, nihil habens obscuri aut perplexi. *Hinc Aristoteles monet metaphoris esse definiendum, præsertim obscuris & e longinquo petitis. Nam si vox modificata æque trita sit vsu, atq; propria, adhiberi potest, vt vitiosæ definitiones sunt, animus est numerus harmonicus, ex monade, binario & ternario compositus. Deus est sphæra, cuius centrum vbiq;, circumferentia vero nusquam.*

5. Vitiosum est, partem materiæ in definitionibus loco generis ponere, *vt si quis sacræ cœnæ genus corpus & sanguinem tantum faciat, vel panem & vinum tantum. Hæ enim materiæ sunt coniungendæ, illa enim interna est, hæc externa.*

6. In definitione speciei non repetendū est, quod ad definitionem generis pertinet, *vt peccatum est quicquid pugnat cum lege Dei. Hæc definitio non est repetenda in definitione peccati originalis.*

Alia obseruatio.

7. Si proponitur tibi definiendum abstractum, conuerte affectiones per idem, & abstractionis definitio erit facilior. *Sic Aristoteles in Ethicis definiturus prudentiam, primum personam pruden-*

prudētis definit. Si pietatē definire velis, excute qui nominentur pij. Pios autem nominamus, qui Deo, parentibus, consanguineis & patriæ reuerentiam præstant. Pietas igitur erit virtus reuerendi & colendi Deum, parentes, propinquos & patriam.

8. Perfectæ definitiones non fiunt diuidendo. *Quare non est entis definitio, vt vulgo putatur; Ens est substantia vel accidens. Est enim diuisio entis, ac si dicam; Ens est substantia vel accidens. Sic non satis est logica definitio; Quantitas est magnitudo rei vel numerus. Nam quantitas in magnitudinem & numerum diuiditur.*

In definitione genus interdum omittitur, vel quod *omnino desit, cum genera summa definiuntur vt ens, vel argumentum:* vel quod *ex antegressis intelligitur, vt ius naturæ est quod omnium hominum sanorum animis inscriptum est.*

9. Errant qui dicunt planam & perfectam definitionem constare debere ex quinq; prædicabilibus; *Genere, specie, differentia, proprio & accidente. Nam species neq; definitionem neq; descriptionem ingreditur, sed est ipsum descriptum seu definitum, & accidens tantum est descriptionis, nec est pars definitionis improprie dicta. tale quid fuerit si dicas, Dialecticam esse artem dicendi omnium vtilissimam. Circulus est figura omnium pulcerrima.*

DE PRONVNTIATO SEV testimonio seu auctoritate.

CAP. XXI.

Hactenus de artificiali seu insito, sequitur assumtum seu inartificiale argumentum.

Argumentum assumtum est, quod assumta artificialis alicuius argumenti vi arguit, *Etsi enim per se & ex se & sua natura arguat, tamen non plene arguit, sed ab artificiali adiuuatur.*

Errant qui putant ex se prorsus nihil arguere testimonium. Hoc enim si ita esset, argumẽtum non esset. Igitur dicendum est, quod per se exiguam probationis vim habeat, non vero nullam. Vis vero argumenti subleuetur & amplificetur internis argumentis artificialibus. *Sic credo Aristoteli, quia sapiens est & præstans philosophus, credo testi quia verax est & fidelis. Credo Deo quia summitate, veritate & potentia præditus est.*

Obiicio; *Platonem & Ciceronem sæpe opponere argumentum & testimonium, itaq; testimoniũ non esse argumentum.* Antecedens probo, quia *Plato in Gorgia inquit, non ex teste aliquo, sed ex argumento veritas est ponderanda.* Respondeo, *Vocem argumenti interdum accipi* κατ' ἐξοχὴν *pro argumento artificiali, quod id maxime arguat. Sic & per Synecdochen ratio sumitur, vt cum dico, pugnabo tecum non auctoritatibus sed rationibus.*

Hoc argumẽtum vulgo dicitur Testimonium.

Testimonium est Lex vel Sentẽtia.

Lex est ἔγγραφος, vel ἄγραφος.

Scripta, *vt duodecim tabularum leges Mosaica, interdum etiam edicta principum cum literis publi-*

publicis consignãtur, item *Chirographum, instrumentum & apocha.*

Non scripta est vel Simpliciter pronuntiata, *vt cum Deus loquitur sanctis hominibus, cum Princeps aliquid mandat aut edicit, aut fit senatusconsultum verbis tantum*, vel Natura impressa.

1. Sentẽtia est Illustris, vel Vulgaris.

Sententia Illustris sunt prouerbia, apophthegmata, & dicta sapientum, item præiudicia, *vt iudicauit Moses testem falsum esse capitali pœna plectendum. E. est iudex corruptus morte mulctandus.*

Vulgaris sunt rumor & fama.

2. Testimonium est promissio, sub qua etiã comprenditur comminatio: vel confessio.

Promissio est testimonium de voluntate testantis, *qualis est Euangelij & sacramentorum.*

Confessio est detestatio detestantis mente.

Estq; Διανοητική, id est, *iudicij:* vel Μνημονευτική seu Αἰσθητική, id est, *memoriæ vel sensus.*

Confessio iudicij est, qua quis testatur suum de re iudicium.

Confessio memoriæ vel sensus est,

qua quis testatur sensu perceptum.

Et huc refertur Experiẽtia, tum Particularis (*vnius, duorum vel plurium*) tum Vniuersalis seu regularis multorum, vel omnium.

Vtraq; scilicet & Promissio & Confessio potest esse Tacita: *Hinc dicitur, qui tacet, consentire videtur:* vel Expressa, *id est, verbis explicata.*

Gestus possunt referri ad contestationem verbis factam. Sunt enim vice verborum.

3. Tum testimonium aliud est Iniuratum, *& ita simplex videtur:* vel est Iuratum, *& ita duplex videtur.*

4. Deniq; testimonium est Diuinum, vel Humanum.

Diuinum quod Dei auctoritate nititur.

Estque duplex, Immediatum, quod ipse ostendit & pronuntiauit, *vt a mortuis excitatum nos iri:* vel Mediatum, quod pronuntiauit naturæ eius instinctum concitatum, *vt angelus, vates, Apostolus.*

Quæstiones duæ.

1. Quærat aliquis, *quomodo hæc diuisio possit esse perfecta, cum etiam bruta animantes possint testari, Legimus enim Baalin asinam esse locutam.* Sed, Respondeo, *huius testimonium esse diuinum,*

num, quia asina illa est mota ad testandum.

2. Quærat aliquis porro, cur *Ramus quem hic sequimur, diuidat in testimonium diuinum & humanum, cum tamen sit diabolicum?* Respondeo. Hoc ideo fieri, quia *diabolus cum mendax sit, sæpissime committit Elenchum testimonij.* Deinde dici potest, *Ramum sub diuino comprehendere diabolicum, vt diuinum sit quod habeat auctorem Deum, siue verum Deum, siue fictitium, qualis est Diabolus.*

Posset etiam propter responsa fatidicorum, auspicum & augurum in paganismo diuidi diuinum in Vere diuinum & Quasi diuinum, *vt auspicia, diuinationes, responsa sacerdotum, auspicum, & coniectariorum ad quasi diuinum referantur.*

Humanum est, quod hominis auctoritate nititur.

Estq; Spontaneum seu voluntariũ: vel Necessarium.

Spontaneum est quæuis libera protestatio, *vt cum aliquid libere promitto.*

Necessarium est, quod fit impulsione quadam, siue in aliqua simplici: siue cum adiunctione.

Estq; vel Obligationis: vel Coactæ contestationis.

Obligationis genus est pignus, *vt annulus sponsalitius.*

Coactæ contestationis sunt tormen-

ta & quæstiones, *vbi corporis cruciatu aliquid exprimitur.*

Posset humanũ & diuidi in *Vere humanum,* & Quasi *humanum.* Nam Poetæ interdum loco hominum inanimatorum testimonia proferũt, *vt Virgil. Nymphæ flerunt Daphnim.* Argumentum a testimonio. *Vos coryli colui testes & flumina Nymphis.* Esse autem hoc testimonium quasi humanum, ex eo, quod paulo post sequitur patet, *montesq; feri, syluæq; loquuntur.*

Obiectio contra argumentum testimonij.

Obiiciat quis contra argumentum testimonij. *Testimonia sunt enuntiata. E. non sunt argumenta, nec ad inuentionem pertinent.* Antecedens confirmat quod Rodolphus Agricola *testimonium vocat pronuntiatum, & sic etiam iudicium.* Respondeo, Quemadmodum *in Grammatica diuersa consideratione est litera, syllaba seu dictio: sic testimonium diuerso respectu est argumentum & enuntiatum.* Argumentum quidem, quatenus arguit, *vt hæc via ad gloriam proxima est, talis sis, qualis haberi cupis. Argumentum a testimonio. Sic enim Socrates sapientissimus ille censuit.* Enuntiatũ vero est, quatenus dispositio terminorum spectatur. Sic comparatio similium est enuntiatum & argumentum simul, sed ratione diuersa.

AXIOMATA.

1. Quia testis est verax, res testata verá est. Et quia testatum verum est, testis etiam verus est (*at non necessario verax, nam & mendax interdum vera testatur.*

2. Si

2. Si Dei auctoritas sit, res certa est, & contra. *In sacris enim ob perfectionem ab auctoritate affirmate & negate valet consecutio, vt quia Christus prædixit, redibit certe ad iudicium, sin minus, non rediret. Non legitur in sanctis oraculis esse purgatorium, id est, ignem quo purgantur animæ, antequam veniant in cœlum. E. errant qui hoc docent.*

3. Si hominis auctoritas sit satis idonea, credi potest, si non sit, contra. *Testimonio autem humano eo maior habetur fides, quo perfectior est virtus testantis.* Certum argumentum ductum a testimonio humano valet affirmative tantum. *Quod enim hominibus omnibus, vel pluribus, & quidem sapientibus probatur, ei non licet nisi vrgente ratione refragari. Sed non valet negatiue, quia cum homines nihil expresse asseuerarunt, non potest citari eorum testimonium.* Non igitur valet consecutio; *De venereo morbo non scripsit Galenus. E. ille morbus non est in rerum natura. Ptolomæus non inquisiuit penitus motum octauæ sphæræ. E. non mouetur proprio motu.* Non valet illa illatio, quia in profanis non satis firmiter confirmatur ab auctoritate negate.

Auctoritas humana cedit diuinæ. *Non igitur valet illatio. Origenes sensit saluari aliquando dæmonas. E. falsum quod in Mathæo dicitur, abiectum iri eos in ignem æternum.*

FINIS LOCORVM DIALEcticorum, sequitur doctrina de prædicamentis.

PARTITIONVM DIALECTICARVM M. RODOLPHI GOclenij Professoris Academici.

Lib. I. Pars II.

DE CATEGORIIS SEV prædicamentis.

Cap. I.

HActenvs de argumentis seu locis argumentorum, sequuntur Categoriæ, id est, tituli monstrantes e quo genere sit quodlibet.

Categoria seu Prædicamentum est (*definitore Ramo in schol. Dial. lib. 4. cap. 1.*) categorematum homogeneorum ordinatio, & descriptio per generalissimum, subalterna, specialissima.

Explicatio definitionis.

Hoc est. *Categoriæ sunt ordines rerum totius vniuersitatis a summo vsq; ad infima*, seu *sunt genera summa, quæ dicuntur de certis subiectis rebus, & quasi partitiones sunt vniuersitatis rerum* (quicquid enim in natura rerum reperitur in aliqua Categoria sit oportet) seu *sunt classes, quarũ singulis res vnius generis ita includuntur, vt aliæ infimum, aliæ medium, aliæ supremum locum teneant*, seu sunt ordines generum & specierum sub vno genere

genere generaliſſimo,id eſt,ſummo, a quo proxime acceditur ad vocabulum, quod in rerum natura primum eſt,ſcilicet *ens*, quod aut ſubſtãtiam aut accidens ſignificat. Categoria dicta eſt ἀπὸ τοῦ κατηγορεῖσθαι, quod eſt *dici ſeu prædicari*, *ſeu enuntiari de aliquo*. Sumtum autem vocabulum hoc eſt e foro, vt enim in iudiciis accuſator de reo aliquid dicit, *vt Cic.de Verre quod fur ſit*; ita in hac doctrina alterum de altero, vt ſuperius de inferiori prædicatur, *vt animal de homine*.

Vtilitas prędicamentorũ duplex eſt.

1. Suppeditant materiam definitionibus & diuiſionibus.

2. Sunt fontes enuntiationum,quia ſuppeditant terminos & materiã propoſitionum.

DE ANTEPRÆDICAMENTIS. CAP. II.

Vulgo huic doctrinæ præmittunt antepraedicamenta, *vt vocant,ſubiiciunt* poſtprædicamenta. *Vtrunq; etſi alienum ſit,heterogeneum. Grammaticum enim,id eſt,& ſermonis,non rationis,nec ideo logicum, tamen vt Ariſtoteleos intelligere poſſitis, aliquid de his attingam.*

Antepr ædicamenta vocant explicationes quorundam, quæ prædicamentis neceſſario præmittantur.

Quinq; numerant præcipue, Æquiuoca ſeu ὁμώνυμα: Vniuoca ſeu ſynonyma: Deducta ſeu

παρώνυμα: Alterum eorum quæ prædicantur: Alterum eorum quæ sunt.

Æquiuoca sunt, quæ præter solum nomen, inter se nihil commune habent, *vt homo pictus etiã dicitur animal, vt homo verus & viuus. Sed illis nomen animalis tantum commune est. Aliter enim definitur viuus homo, aliter pictus. Sic vocabulum canis est* ὁμώνυμον, *quia vno nomine significantur res diuersæ & differentes. Canis significat & animal, & sydus, & latus infelix tesseræ. Sic* πολύσημον *est cancer, dicitur* ὁμώνυμον, *quia vnum nomen imponitur pluribus rebus, vt animali, syderi & morbo, quæ habent definitiones diuersas.*

Vniuoca sunt, quæ non solum idem nomen, sed eandem etiam definitionem obtinent, *vt & homo & taurus animal est. Vtriq; conuenit idem nomen, eademq; definitio animalis.*

Synonyma dicuntur, quæ idem declarant, valent seu significant, seu quæ sunt æquipollentia, ἰσοδυναμοῦντα, quæ idem pollent, *vt ensis & gladius.*

Obiiciat quis. *Taurus & homo non idem valent, non paria sunt, non sunt termini conuertibiles, quia disparata sunt. E. taurus & homo non sunt synonyma.* Respondeo, ad propositionem. *Hæc continet potius definitionem Polyonymorum quam synonymorum.* Polyonyma enim dicuntur, cum vna eademq; res multa habet nomina. Deinde respondeo per distinctionem, *alia sunt synonyma Grammatica, alia metaphysica, seu vt volunt*

logica.

logica. In propositione definita sunt Grammaticorum synonyma. Grammatici voce synonymorum de iis vtũtur, quæ sunt πολυώνυμα. Sic Publius, Cornelius, Scipio sunt synonyma Grammatica. Sic igitur synonyma intelliguntur significatione conuenientia. Et quidem Aristoteles *lib.5. Eth. cap.* 2. eo modo voce ista vtitur, hoc est, *ibi synonyma vocat conuenientia aliquo modo significatione.* Sed Dialectici synonyma vocant, quæ vna communi ratione comprehenduntur, *vt iustitia & fortitudo virtute.*

Paronyma dicuntur quæcunq; ab aliquo discrepantia casu, secundum nomen appellationem habent, id est, nihil aliud sunt, quam concreta ab abstractis denominata. *Hic enim vtrobiq; nomen est idem, casu tantũ differens, vt a Grammatica Grammaticus, a Deitate Deus, a fortitudine fortis nomen habet.* Abstractum significat solam formam absq; subiecto. Concretum significat subiectum cum forma, *vt homo albus.*

Quidam e theologis contra logicam vel potius Grammaticam significationem in scholis receptam, accipiunt voces abstracti & concreti. Abstractum non significat logicis separatum aut distractum, sed naturam & formã aliquam, quæ alteri inest essentialiter seu accidentaliter. Cum igitur homo Christus etiam in abstracto est mediator, id non intelligitur, quod humanitas extra vnionem seu separata a λόγῳ sit mediatrix, sed quod humana natura secundũ se etiam

in vnione considerata sit mediatrix. Concretum vero non significat coniunctum seu subiectum, quod habet naturam vel formam illam, *vt Deus est concretum, quia habet Deitatem.*

Hinc regula.

Abstracta non prædicantur de subiectis, *vt Demosthenes non dicitur eloquentia, sed eloquens. Filius Mariæ non dicitur Deitas, sed Deus.* Theologia hic facit exceptionē, *dicitur enim vtrunq; Deus est omnipotens, & ipsa omnipotentia, quia potentia Dei nihil differt ab ipsius essentia.*

Obiiciat aliquis, *παρώνυμα nihil esse quam coniugata. E. satis esse debet Aristoteli in topicis de his tractare.* Respondeo, Non omnia paronyma sunt coniugata. *Nam fortitudinis paronymum est fortis, non contra fortitudo fortis coniugatum est. Fortitudo & fortis coniugata sunt, sed fortis, quia concretum est, παρώνυμον dicitur, hoc est, denominatiuum dicitur quasi e fortitudine formatum.*

Categorematum, *hoc est, eorum quæ dicuntur*, alia sunt Simplicia, (*vulgo incomplexa*) alia sunt Composita (*vulgo composita seu complexa.*)

Simplicia sunt simplices notiones, e quibus enuntiatio fit, *vt ignis, & vrit.*

Composita sunt ipsæ enuntiationes, *vt ignis vrit.*

Categorematum simplicium, seu eorum quæ sunt, quædam essentialiter, quædam accidentaliter prædicantur; illud in subiecto dici: hoc in subiecto

iecto esse Aristoteles appellat.

Hinc eius talis quadripartita est diuisio.

Alia de subiecto dicuntur, (in subiecto vero nullo sunt) *vt communes seu secūdæ substantiæ, vt homo est animal. Cato est homo.*

Alia in subiecto insunt, de subiecto vero nullo dicuntur, *vt accidentia singularia. Non enim dicimus; Corpus est hæc nigredo, sed nigrum.*

Alia partim de subiecto dicuntur, partim insunt subiecto, *vt accidentia communia, vt scientia est in anima, & prædicatur de anima, & Grammatica.*

Alia nec dicuntur de subiecto, nec insunt subiecto, *vt substantiæ indiuiduæ. Non enim dicimus; Homo est Cato, nec Cato inest alicui subiecto, quia ipsum subiectum est.*

Sic obiici potest, *partes insunt in subiecto, vt digiti in manu. Partes autem non sunt accidentia. Itaq; diuisio Aristotelis manca est.* Respondeo, *Partes insunt in subiecto, non simpliciter, sed determinate, id est, ratione totius.* Quanquam si rem penitus introspiciamus, fateri cogimur, distinctionem illam non esse catholicā. Id quod probat Ramus adductis exemplis ex Aristotele. *cap.* 3. *lib.* 4. Recentiores quidam antepræedicamenta ita tradunt, vt sint commonefactiones de iis vocibus, quæ e prædicamentis eiiciuntur, & comprehenderunt his versiculis.

Complexum, consignificans, fictum, polysemon,

Vox logicæ, transcendens, cætera cuncta locantur.

EXPLICATIO.

Primum excluditur e categoriis, complexum, *hoc est, integræ sententiæ.* Consignificantia sunt Græcis συγκατηγορήματα, *id est, partes orationis inflexiles.* Item signa, nullus, nemo, omnis, aliquis, &c. *quæ etiam non ingrediuntur prædicamēta.* Excipe tamen *aduerbia loci & temporis, item quantitatis & qualitatis.* Fictum. Ficta sunt, quæ non sunt in rerum natura, *vt purgatorium, Cerberus.* Polysemum. Polysema sunt ambigua vocabula, *vt cancer, lupus*, hæc ad nullam Categoriam referuntur, nisi diserte dicatur, in qua significatione vox accipienda sit. Vox logicæ nihil aliud hic est, quam dictio materialiter seu τεχνικῶς posita. item vocabula artis, seu vox secundæ impositionis seu intentionis. *Vocabula scilicet rerum seu primæ impositionis aut intentionis in categoriis locantur.* Transcendens dicitur Ens, quod significatione sua omnia transcendit. *Itaq; prædicatur de omnibus prædicamentis. Eius proprietas est vnum, quod cum similiter nulli rerum generi proprium sit, in nullo prædicamento esse dicitur.* Talæus etiam ex sententia Aristotelicorum *verum* & *falsum* terminos transcendentes vocat, quia res est vera, id est, *reuera exsistit*, vel est falsa, id est, *ficta*. Si veritas & falsitas est tam simplicium quam enuntiationum, erunt transcendentia. 11. Metaph. Aristotel.

Hactenus de antepraedicamentis sequuntur ipsa prædicamenta.

DE DIVISIONE PRÆDICAmentorum. CAP. III.

Prædicamentum diuiditur in vnum Subſtantiæ: nouem Accidentium. *Duo enim ſunt genera rerum ſeu entium, quibus vniuerſa natura conſtat. Alterum eorum, quæ ipſam per ſe vim ſubſiſtendi habent, quod genus ſubſtantia dicitur, Græce αὐθυπόστατον, per ſe ſubſiſtens. Alterum eorum, quæ ſua vi nullo modo conſiſtere poſſunt, ac niſi ſuſtinerētur a priori genere, ne momento quidē in rerum natura permanere poſſent, quod genus accidens dicitur, ἑτερυπόστατον per aliud ſubſiſtens, quod in alio ſeu alterius beneficio ſubſiſtit, ſeu quod eſſe ſuum habet a ſubiecto.*

OBIECTIO.

1. Obiiciunt Theologi, *non eſſe immediatā diuiſionem entis in ſubſtantiam & accidens, quia filius Dei neq; eſt eſſentia, neq; accidens, ſed perſona.* Reſpondeo, Nihil pugnare inter ſe eſſe perſonam & ſubſtantiam. Sic igitur res habet. *Etſi in diuinis diſtinguitur eſſentia a perſona, perſona tamen eſt ſubſtantia. Subſtantia enim genus eſt, cui tanquam ſpecies ſubiiciuntur eſſentia ſeu natura & perſona.* 2. Secundo obiiciunt. Quicquid realiter conuenit alicui, id dicitur vel de ipſius eſſentia, *vt animatum corporatum rationale competunt homini per eſſentiam eius:* vel proprietate eſſentiam neceſſario comitante, *vt loqui, numerare,* vel accidente, *vt magnum, paruum, iuſtum eſſe.* E. medium eſt inter ſubſtātiam & accidens. Reſpondeo, eſt fallacia ambigui. *Nam accidens*

interdum accipitur specialiter, vt distinguatur a proprio. Sic inter substantiam & accidens est medium, vt proprietas seu proprium quarti modi. Sed in nostra diuisione accidens accipimus generaliter, vt loqui posse etiam sit accidens scilicet proprium, vt ambulare, scribere, etiam sint accidentia hominis, quæ in inuentione argumentorum sunt effecta.

OBSERVATIO.

Potest & talis institui diuisio.

Omne ens aut est Substantia, aut Qualitas.

Substantia est res per se subsistens qualitatitatibus subiecta.

Qualitas est tum Substantialis: tum Accidentalis.

Substantialis, *vt rationalis hominis scilicet est substantialis qualitas, lignea domus, sentiens animantis.*

Accidentalis qualitas, *vt magnus, bonus, Dominus, scribens, calefactus, hodiernus, Romanus, stans, armatus, togatus.*

Obiiciat quis; *Hæc diuisio nimis est angusta. E. vitiosa.* Antecedens probo, *quia multa etiam entia sunt quantitates (enuntiationes.)* Respondeo per distinctionem, *in nostra diuisione qualitas accipitur generaliter, vt ei subiicienda sit, & quantitas & qualitas specialis, Quantitas quidem qua rerum magnitudo & multitudo expenditur. Qualitas vero scilicet specialis, qua continentur omnes rerum proprietates, facultates, potentiæ & impotentiæ, omnes habitus tum naturales tum acquisiti, affectus & patibiles qualitates, omnes denique figuræ & formæ accidentales.*

Prædi-

2. Prædicamenta diuiduntur secundo in Absoluta & Relatiua.

Absoluta sunt earum rerum, quæ sine collatione, habitudine seu affectione cum aliquo alio intelliguntur, *vt sunt subiecta, quantitas & qualitas.*

Relatiua sunt earum rerum, quæ conferuntur, id est, quarum est mutuus ad se inuicem respectus. *Eius generis est relatio. Cui subiicitur tanquam species actio & passio, vbi, situs, habitus.*

Subtilior diuisio.

Prædicamentum aut est Substantiæ aut Accidentis.

Accidentis est tale Ἁπλῶς; vel Quodammodo.

Ἁπλῶς Absolutum est: vel Relatiuum.

Absolutum, *vt quantitas qualitas.*

Relatiuum, *vt relatio.*

Quodammodo sunt reliquæ categoriæ. *Actio enim non est vere quiddam absolutum, quia patiens connotat, nec est vera relatio, quia ad patiens non refertur tanquam ad terminum, sed patienti tanquam subiecto, licet extrinsecus, accidit.* Actio igitur est qualitas, *sed cum hoc modo, quod patiens continet, & illud tanquam subiectum respiciat.* Quando nihil aliud est quam tempus, sed cum modo quodam, *quia substantiæ accidit, quæ in tempore est.* Vbi nihil aliud est quam locus, sed cum nouo hoc modo, *quatenus rei locatæ accidit.*

Vel sic.

Prædicamenta sunt aut Prima aut Orta.

Prima, quæ sunt aliquid simpliciter.

Suntq; Absolutorum, vel Relatorum.

Absolutorum est tum Substantia, *hæc est absolutissima*, tum Quantitas & Qualitas.

Relatorum est Relatio.

Orta sunt aliquid (*id est, substantia vel accidens*) cum quodam modo.

Actio, *quæ est ἐνέργεια, id est, qualitas proficiscens ab agēte ad patiens, quæ inter se conferuntur.* Vbi, *quod est locus, & per consequens quantitatis, sed habens respectum ad rem locatam.* Aliquando, *quod tempus est, relatum ad rem circumscriptam tempore.* Situs, *qui locus cum relatione quadam, id est, ratione partium totius.* Habitus, *qui qualitas est inclusa tum relatione, quæ est inter habens, & rem habitam.*

DE PRÆDICAMENTO substantiæ.

CAP. IIII.

Vocabulum substantiæ est æquiuocum. Primum *enim materiam rei significat:* Deinde *formam.* Tertio *totam rem constantem e materia & forma.* Quarto *interdum sumitur pro ente. Sic accidentia etiam dicuntur habere suam essentiam, vt lucis, virtutis substātia, essentia.* Quinto *interdum etiam sumitur pro subiecto.* Sexto *accipitur pro ipsa definitione.* Septimo, *hic vero substantia de rebus per se constantibus accipitur.*

Est igitur substantia res per se constans, seu ens, quod propriũ esse habet. *Sic dicta, quia substat accidentibus. Accidentia enim*

enim nisi a substantia sustinerentur, nihil sunt. Item, *Plato accidentia vocat* μὴ ὄντα. *Cerberus est in nullo prædicamento, quia non exsistit in rerum natura, sed quatenus fingitur esse, eatenus est in prædicamento substantiæ.*

Obiiciat quis, *Plato vocat accidentia, non entia, Non igitur recte diuiditur in substantiam & accidens.* Respondeo, Platonicum istud intelligendum esse comparate. *Vocat enim accidentia non entia, quia non sunt ipsa essentia rei, & quia per aliud subsistunt, propriũ esse non habent, sed in alio subsistunt, substantia proprissime dicitur essentia, quia per se subsistit.*

Substantiæ, Primæ sunt, vel Secundæ.

Primæ Aristoteli sunt indiuidua, *vt homines singulares, vt Cato, Petrus.*

Secundæ sunt genera & species indiuiduorum, *homo, animal.*

Primæ dicuntur hinc, *quia proprissime & maxime sunt substantiæ.* Item, *quia primæ subiiciuntur reliquis, vt Cato est homo.*

Secundæ dicuntur, *quia a primis substantiis extra intellectum positis sunt abstractæ, & sunt substantiæ* ἐπὶ μέρους *proprie substantiam primam.*

Platoni & Socrati contra ideæ seu species & genera sunt primæ substantiæ, quia illa communicant essentiam suis ipsis indiuiduis.

Indiuidua seu res singulares illis sunt secundæ substantiæ, quæ naturam vniuersalium participant. Platoni genera sunt causa: indiuidua

vero effecta. Causa autē prior est natura effecto.

Metaphysicus seu Theologus aliter accipit, *substantiam primam*, quam logicus. Metaphysico seu Theologo significat principē omnium rerum causam, vt Deum. *Secundam vero*, quæ a Deo seruatur & defenditur.

REGVLA.

Destructis primis substantiis, nihil est reliquum, *hoc est*, sublatis indiuiduis tolluntur ideæ & accidentia, *tolle singulares homines & homo non erit.* Vera est enim regula Boætij; Omne quod est, eo ipso, quod est, singulare est, id est, *quæcunque res in natura vere & positiue est quiddam, extra intellectionem est singularis per se.* Destructo pane Eucharistiæ, non manet neq; sapor, neq; albedo, neq; rotunditas, quia *sublato subiecto tolluntur adiuncta.*

1. Occurrat quis, Porphyrius in εἰσαγωγῇ, inquit, *sublatis speciebus, ratio tamen generis manere potest. E.* non verum est, quod dicitur, *sublatis primis substantiis tolli secundas.* Respondeo, non est pugnantia, si res dextre intelligatur. *Genus enim dupliciter consideratur.* Primo *quoad esse.* Secundo *quoad intellectum.* Quoad esse, id est, *quatenus est aliquid reale & subsistens in rerū natura.* Quoad intellectum, *hoc est, quatenus in mente tantū est.* Illo igitur respectu genus cum in primis tantum substantiis subsistit, his pereuntibus vna peribit. Hoc vero respectu remanere potest genus speciebus sublatis. *Sic hyeme cum nullæ vspiam sunt rosæ, notitia tamen & definitio manet in mente tua.*

2. Dein-

2. Deinde obiiciat quis, Aristoteles dicit, *nihil aut parum entis, id est, veritatis (vt interpretantur) habere singularia. Singularia igitur non sunt primæ substantiæ & proprijssimæ.* Respondeo, per distinctionem. *Indiuidua parum habent veritatis non exsistendo, sed cognoscendo per mentem. Mens enim natura magis cognoscit vniuersalia, quam singularia, quæ magis subiecta sunt sensibus.*

3. Obiiciat quis contra diuisionem substantiæ, *diuisio quæ non est* καθ' ὅλου πρώτων *vitiosa est. Talis hæc est, qua substantia diuiditur in primam & secundam. Vitiosa igitur.* Assumtionem probo. *Nam etiam alia qualitas prima est, vt hæc linea, alia secunda, vt nigredo.* Respondeo, Argumentum est insolubile, quia in singulis & omnibus prædicamentis sunt singularia & vniuersalia. Aristoteles tamē sic posset excusari, & quodammodo defendi, *ipsum substantiæ diuisionem hanc ideo tribuisse, quia substantia est ens* κατ' ἐξοχὴν, *id est, maxime & in primis meretur nomen entis, quia accidentia sustinet, & accidentia habent suum esse a substantia, quo cum respiceret Plato, non dubitauit accidentia vocare* μὴ ὄντα.

REGVLÆ ARISTOTELICæ de substantia, quæ vulgo dicuntur proprietates.

1. Commune est omnibus substantiis, in subiecto non esse.

DECLARATIO.

Cum sola accidentia ita sint in alio, vt quamuis sine eo simpliciter esse non possint, non tamen pars illius sunt; recte sola accidentia in subiecto esse di-

cuntur. Subſtantiæ primæ, *vt Socrates, cum ipſa ſint ſubiecta per ſe ſubſiſtentia, in ſubiecto eſſe dici non poſſunt*. Secundæ *etſi inprimis ſubſiſtant, in ſubiecto tamen non ſunt, homo enim non eſt in Socrate ſicut ſcientia. Partes deniq; ſubſtantiarum in ſubiecto eſſe dici non poſſunt, quia cum partes ſint, in toto ſunt. Pars enim & totum ſunt relata.*

Obiiciat quis, *Partes ſunt in ſubiecto, vtpote in toto ſuo. Partes ſunt ſubſtantiæ. E. ſubſtantiæ ſunt in ſubiecto*. Vel ſic, *Subſtantiæ non inſunt in ſubiecto. Manus vero eſt in corpore. E. manus non eſt ſubſtantia.* Reſpondeo, Eſt elenchus phraſeos. *Ariſtoteli ineſſe ſubiecto hic dicitur illud, quod in ſubiecto vt accidens ineſt, non vt in toto pars. Partes non inſunt ſimpliciter in ſubiecto, ſed determinate, id eſt, ratione totius.* Ad ſecundi ſyllogiſmi aſſumtum reſpondeo, *manus eſt in corpore vt in toto.* Ad maiorem. *Subſtantiæ non inſunt in ſubiecto, ſcilicet vt accidens, vinum eſt in dolio, non vt accidens, ſed vt ſubſtantia.*

Obiiciat quis denuo, *Dici de aliquo requirit ineſſe. De Socrate prædicatur animal. E. ineſt ei animal.* Reſpondeo, *ſubſtantias ſecundas non ineſſe ſubiectis, ſcilicet vt accidentia. Animal autem non eſt accidens Socratis, ſed eſt ſubſtantia ſecundaria, declarans ipſam eſſentiam Socratis.*

2. Subſtantiæ diuerſæ non dicuntur aduerſæ, ſed diſparatæ. Ariſtotelici ſic; ſubſtantiæ nihil eſt contrarium.

EXPLICATIO.

Ariſtotelici qualitatibus tribuunt contrarietatem, *vt calido & frigido, nigro & albo.* Sic autem

autem arguo; *Substantia est subiectum contrariorum. E. non est alteri contraria, sed contraria sunt quæ in ipsa insunt.* Ramus hanc proprietatem non probat, quia *species sub eodem genere etiam contrariæ esse possunt, si vna vni opponatur, vt bestia homini.* Et Philippus cum Physicis in ea est sententia, vt dicat; *Quicquid corrumpitur, a contraria forma corrumpitur, vt ignis corrumpitur a contraria forma aquæ.* Et physici dicunt, *motum grauium & motum leuium esse cõtrarios:* item *calefactionem pugnare cum frigefactione.*

3. Substantia non recipit magis & minus, id est, *substantiarum, quæ sub eodem proximo genere differunt, non est vna magis substantia quam alia, vt quia bestiæ æque atque homini conuenit animal, eiusque definitio, homo non est magis animal quam bestia. Hercules & Paris sunt eiusdem ordinis ac gradus, substantiæ singularis scilicet, sub specie homo. Non est igitur Hercules magis homo quam Paris.*

Obiiciat quis hoc modo, *Hæc lex videtur pugnare cum diuisione Aristotelica, in qua dictum est, substantias primas magis esse substantias, quam secundas seu ideas.* Respondeo, *Si comparentur secundæ substantiæ cum primis, id est, ideæ cum indiuiduis, hæ magis erunt substantiæ quam illæ, vt Cato magis est substantia quam homo, homo magis quam animal, quia vicinior est Platoni homo quam animal. Quare ita accipiatur regula.* Substantia scilicet, quæ eiusdem est ordinis & gradus cum alia, non augetur nec minuitur secundum suum esse.

Censura.

Sed nulla hic proprietas est. Nam *non recipere magis & minus, non tantum substantiæ, sed etiam quãtitati, qualitati, relationi, actioni & passioni conuenit.* Ramus igitur sic diceret; Essentia & definitio generis pariter seu æqualiter omnibus subiectis speciebus & indiuiduis conuenit, *vt adulterium æque est peccatum, quam furtum, quia nomen essentia & definitio æque conuenit adulterio atque furto. (Ergo omnia peccata sunt paria quoad essentiam attinet) si essentiam habitus consideres, æque est habitus virtus atque vitium.*

4. Substantia vna numero permanens, est capax contrariorum, *sic paries nunc albus, nunc niger est, homo nunc calidus, nunc frigidus.*

Ramus de Deo hanc regulam falsam ait esse. E. non est κατὰ παντὸς, quod *Deus non respiciat contrario accidentia, quia Deus est actus sine potententia passiua.*

SVB-

SVBSTANTIARVM OR-do ſeu tabella.

Subſtantia eſt

- 1 Incorporea, id eſt, corporis expers, *vt mens ſeu ſpiritus*
  - Mens increata, *Deus*
  - Creata ac finita, *genii, animæ*
- 2 Corporea, *vt corpus*
  - Simplex
    - Cõſtans, *cœlũ vel ſtellæ*
      - *Fixæ*
      - *Errantes.*
    - Inconſtãs, *vt elementum*
      - *Leue ignis & aer.*
      - *Graue, aqua & terra.*
  - Compoſitum
    - Perfectũ
      - Animatum
        - Vegetans, *vt ſtirps*
          - Marina, *vt corallus*
          - Tereſtris, *vt arbor, frutex vel herba.*
          - Horum genus planta.
        - Sentiens, *vt animal*
          - Brutum
            - Inſectũ, *vt apes, muſcæ.*
            - Integrum.
              - Aereum, *vt aues,*
              - Aquatile, *vt piſces.*
              - Terreſtre, *vt Bos*
              - Reptile, *vt Baſiliſcus.*
              - Quanquam etiam ſunt quædam ἀμφιρήβια, *vt anſer & anas.*
          - Rationale, *vt homo*
      - Inanimatũ, *metalla, lapides, fontes,*
        - Viles, *vt pumex*
        - Rari, *vt gemmæ*
        - Huc refer thermas.
    - Imperfectum *meteora, cometæ, phaſmata, fulmen, in aere medio ignis fatuus, in infimo terræ motus.*

Quærat aliquis, *quorſum referendæ ſint res neq; pure naturales neq; pure artificiales, vt farina, panis & ſimiles.* Reſpõdeo, Res medij generis, quæ

etsi artificis opera adiuuentur, natura tamen perficiuntur, ad categoriã substantiæ pertinent, *vt lateres, panis, vinum, calx, sal, nitrum,&c.* Sic teste Velcurione farina res naturalis est, & in categoria substantiæ collocãda, quia dura commissa duris terentur in mola & absente manu artificis. In mediis igitur & ambiguis videndum est, vtrum natura; an ars plus efficiat.

Calceus *est in prædicamento qualitatis. Nam etsi corium, ex quo fit, sit substantia, tamen dicitur calceus propter formam, quæ qualitas est, esse in qualitatis prædicamento.* Limes, *est in prædicamento relationis.* Obiiciat aliquis esse in substãtia propter lapidem. Respondeo, *Vocabula sunt ponenda in prædicamentis secundum principalem respectum (significationem). In limite consideratur non lapis.* Ergo, &c.

Quæro *corpus animatum* in qua categoria?

Respondeo, *In substantiæ categoria.* Obiicis esse complexum *(quia sunt duo vocabula.)* itaque non posse poni in categoria. Respondeo, *Complexum nõ recipitur in aliquod prædicamentum, nisi loco incomplexi seu simplicis accipiatur, vt naturalis virtus, peccatum originis, iustitia vniuersalis.*

Cum Paulus dicit, *induite nouum hominem & deponite veterem*; Homo in qua Categoria?

Respondeo, *in qualitate & actione.* Nam metonymia Hebræa nomina subiectorum & substantiarum sæpe pro adiunctis, hoc est, qualitatibus inhærentibus in subiectis accipiuntur.

Aqua Baptismi & panis cœnæ, in qua Categoria?

Respon-

Reſpondeo, *Non in ſubſtantia, quia aqua illa & panis iſte eſt ſacramentalis & myſticus, hoc eſt, adhæret ei relatio. Aqua enim baptiſmi non eſt ſimpliciter aqua, vt aqua communis, ſed mandato & verbo Dei incluſa ac comprehenſa, vt Lutherus inquit. Phyſicus quidem panis, quem cœno meæ domi eſt in prædicamento ſubſtantiæ, ſed panis cœnæ deſtinatus ad ſanctũ vſum, & obſignans in me acceptionem corporis Chriſti, ad categoriam relationis pertinet.*

In quo prædicamento eſt iuſtitia & bonitas Dei?

Reſpondeo, *In prædicamento ſubſtantiæ, quia talia attributa ſunt Dei eſſentia, imo Dei ipſa eſſentia ſunt. Sic omnipotẽtia Deo tribuitur eſſentialiter, vt Deus ſit omnipotens & omnipotentia ipſa, hoc eſt, omnipotentia nihil differt ab eius eſſentia. Id quod nec ipſe Ariſtoteles quidẽ negat, cum præclare ait*, in æternum eſſe & poſſe, idem ſunt, & protſus nihil differunt. *Bonitas vero & iuſtitia in creaturis rationalibus, ſunt in prædicamento qualitatis, quia homini & angelis tribuuntur accidentaliter. Solus Deus bonus eſt eſſentialiter, abſolute, ſimpliciter, origine & perfectione. Creaturæ ſunt bonæ communicatione radiorum bonitatis Dei, & mutabiliter ſunt bonæ.*

Obiiciat aliquis, *Quicquid in vno eſt accidens, non poteſt eſſe pars ſubſtantiæ in alio. Bonitas eſt in hominibus accidens. E. non poteſt eſſe pars ſubſtantiæ in Deo.* Reſpondeo, Concedo totum. *Nam bonitas non eſt pars ſubſtantiæ in Deo, ſed ipſa Dei eſſentia.*

DE CATEGORIA QVANtitatis. CAP. V.

Quantitas eſt primum prædicamẽtum accidẽtium, diciturq; de magnis & multis.

Quantitas eſt ſecundum quam res dicitur quanta, & in partes integrantes diuiditur.

Prædicamentum quantitatis ſecundum locum obtinet, ſeu proxime ſequitur ſubſtantiam, quia quantitas omne corpus ita neceſſario ſequitur, vt corpus expers quantitatis ac magnitudinis non ſit corpus. Itaq; non dubitauit dicere Cyrillus; Si Deus ipſe corpus eſſet, eum etiam quantum fore. Et alius; Spiritus ſanctus ſi circumſcriptionẽ haberet, creaturam fore.

Quantitas eſt Continua vel Diſcreta; ſeu quod idẽ; Quantitas eſt magnitudo rei vel numerus. *Sic definit Philippus, ſed potius diuiſio quam definitio eſt, vt & hac, ens eſt ſubſtantia vel accidens.*

Continua eſt, cuius partes continuo aliquo termino copulantur, ſeu continue cohærent, *cuius omnes partes cohærent.*

Continua habet ſpecies quinq; *(vt placet Ariſtoteli)* Lineam, Superficiem, Corpus, Tempus & Locum.

Obiiciat aliquis, *Corpus eſt in Categoria ſubſtantiæ. E. non in prædicamento quantitatis.* Reſpondeo,

ſpondeo per regulam, vna vox poteſt eſſe in diuerſis prædicamentis pro diuerſa eius ſignificatione ac reſpectu. *Sic corpus Phyſicum in ſubſtātia eſt, ſignificans nimirum rem materiatam, viſibilem ſubſtantialem, palpabilem. Corpus vero mathematicum eſt in quantitate, ſignificans nimirum longitudinem cum latitudine & profunditate, & eſt accidens ἀχώριστον ſubſtantiæ corporeæ, quo ſublato hæc etiam perimatur neceſſe eſt.*

1. Linea eſt Recta (*huc pertinent nomina menſurarum, quibus metimur longitudinem, vlna, cubitus, pertica, pes, &c.*) vel Obliqua, *vt diameter.*

2. Superficies eſt, Plana ſeu æqua, *vt area*, vel Gibba aut flexuoſa, *vt camera.*

Plana eſt Rectilinea, vel Obliquilinea.

Rectilinea eſt triangularis, quadrāgularis, &c.

Obliquilinea eſt circulus.

3. Corpus ſub ſe comprehendit ſphæram, & conum, &c.

4. Tempus eſt, menſura motus ſecundum prius & poſterius, *vt annus, menſis, hebdomas, dies, hora, momentum.*

(:*Huc pertinent menſuræ liquidorum, aridorum, item pondera, vt libra vnciæ, &c:*)

Tempus autem eſſe quantitatem cōtinuam & referri poſſe ad lineam, hinc patet, quia *habet communem terminum videlicet nunc ſeu inſtans,*

ratione cuius præteritum coniungitur cum futuro, seu est quadam longitudo, cuius partes præsens, præteritum & futurum continuo cohærent. Sic arguit Ramus; *Continua quantitas ab omni motu & materia abstracta consideratur. Tempus non potest sic considerari, quia definitur esse mensura motus. E. tempus nō est quantitas. Respondeo.* Quātitas est duplex, alia mathematica, vt linea, superficies, corpus: alia physica, vt tempus & locus.

Species & genus sunt in eodem prædicamento. Heri & tempus sunt species & genus. E. sunt in eodem prædicamento. Heri autem est in quando. E. etiam tempus. Respondeo, Distinguunt Aristotelici ita, vt dicant, *tempus & omnes eius partes esse in quantitate, sed partes temporis enumeratas ablatiuo vel accusatiuo casu, vel id, quod respondetur ad quæstionem, quando factum? pertinere ad prædicamentum quando.*

Locus est superficies corporis continentis.

Locum autem esse continuam quantitatem ex eo patet; quia partes loci, quæ continent singulas corporis partes copulantur ad communem terminum, ad quem corporis partes copulatæ sunt.

Quantitas discreta est, cuius partes non cohærent continenter, sed a se inuicem seiunctæ ac discretæ sunt.

Estq; Numerus, vel Oratio.

Numerus est Integer, vel Fractus.

Integer est Vnitas, vel Multitudinis.

Oratio

Oratio versatur in Cantu & harmonia, in Numero, Rythmo & versu, *id est, harmonica oratio est musicorum, numerosa oratorum, metrica poetarum.*

Obiiciat quis, *Oratio est qualitas, & quidem patibilis afficiens auditum. E. non referri debet ad categoriam quantitatis.* Respondeo, *Huc tantum refertur oratio, quatenus spectatur dimensio sonorum & vocum, seu quatenus accipitur pro multitudine syllabarum longarum vel breuium, quæ diuersas habent temporum mensuras.*

REGVLÆ DE quantitatibus.

1. Quantitates non dicuntur contrariæ, sed qualitates.

Ramus hanc legem impugnat, Nam inquit magnum & paruum sunt quantitates. Magnum vero & paruum sunt contraria seu adiūcta. E. quædam quantitates sunt contrariæ.

2. Quantitas non recipit magis & minus, sed maius & minus.

Ramus hanc legem etiam impugnat. Etsi enim longitudo, altitudo, multitudo non suscipiāt magis & minus, horum tamen παρώνυμα *seu concreta recipiunt scilicet magis & minus. Dicimus enim longius, latius, altius, plus, item longissimum, latissimū, altissimum, plurimum.*

Sed hic obseruandum, *cum dicatur miliare vel vlna longior seu magis longa, nihil aliud dici quam quod sit maior. Si dicit hæc vlna est magis breuis, quam illa, nihil aliud dicit quam minor.*

3. Quantitatibus proprie conueniunt relationes, *æquale, inæquale; par, impar:* seu ratione quantitatum res dicuntur æquales vel inæquales, pares vel impares. *Oriuntur igitur e quantitatibus relationes.*

Par de numero, æquale de magnitudine dicitur.

4. Quantitatum per se nulla est efficacia seu effectio, *vt magnus est. E. vincet. non valet propter hanc regulam.* Admonitio.

Non potest defendi hæc regula, nisi addatur, quantitatum per se & solarum, hoc est, sine qualitate, *vt in nummo nõ tantum requiritur bonitas, sed etiam iustum pondus. Nam, teste Aristotele, animalia ex terra nascentia, quæ magna sunt, fere longiorem habent vitam, quam minora.* Idem, *animalia quæ parum sanguinis habẽt in locis septentrionalibus, minora fiunt, eorumq; breuior vita est.* Idem. *Sanguine carentia minus diu viuunt, nisi se tueantur magnitudine.* Idem. *Magna flamma exstinguit paruam. E. quantitatum est quædam efficacia.* Hæc regula refutat eos qui aduersus ictus seu morbos certas figuras de collo suspendunt.

DE PRÆDICAMENTO qualitatis. CAP. VI.

Qualitas est, ex qua res dicitur qualis.

Accipe hic qualitatem specialiter. Nam interdum generaliter vsurpatur, & opponitur substantiæ, & comprehendit sub se quantitatem, relationem, &c. Et tum qualitas est duplex, substantialis,

vt ra-

vt rationale, marmoreum, vel accidentales, vt nigrum, album, magnum, paruum. Supra in diuisione prædicamentorum.

Species qualitatis ſunt quatuor, διάθεσις κὴ ἕξις: φυσικὴ δύναμις κὴ ἀδυναμία: πάθος, παθητικὴ ποιότης: σχῆμα κὴ μορφὴ.

OBIECTIO.

Obiiciat quis, *Ariſtoteles figuras mathematicas refert ad quartam ſpeciem qualitatis. E. non ſunt quantitates.* Reſpondeo, per diſtinctionem. *Figuræ, ſi ſpectatur ipſum ſpatium, quod continet illas lineas, e quibus conſtant, ſunt quātitates. Quatenus vero ipſarū figurarum cōformatio, ad quartam qualitatis ſpeciem referendæ ſunt.*

REGVLA.

Cum ignoramus genus, vtimur duabus ſpeciebus loco generis, vt φυσικὴ δύναμις κὴ ἀδυναμία: πάθος, παθητικὴ ποιότης: σχῆμα κὴ μορφὴ.

DE PRIMA SPECIE qualitatis.

Διάθεσις ſeu affectio eſt habitus incoatus ſeu imperfectus. Quare eſt εὐκίνητος, facile mobilis, *vt artes in veſtris animis incoatæ, virtutes & vitia in animis puerorum nondum corroboratæ longo vſu.*

Habitus eſt, qualitas conſtans ex conſuetudine longa, & exercitatione longa comparata, ideoq; eſt δυσκίνητος,

ab hoc aliquis dicitur doctus, a διαθέσει vero aliquis studiosus doctrinæ vocatur.

Definitio hæc philosophorum tantum conuenit habitui acquisito, non infuso a Deo, de quo loquuntur Theologi.

Tum διάθεσις tum habitus est Corporis, vel Animi.

Corporis, *vt artes mechanicæ, sutoria, gladiatoria, ars digladiandi. In eo autem exercitatio corporis maiorem vim habet, quam animi.*

Animi est Διανοητικὸς: vel Voluntarius.

Habitus intellectus genus est Notitia.

Notitia est Certa, vel Incerta.

Certa, *vt sapientia, prudentia, scientia & ars.*

Accipimus hic artem pro bona & vtili parte. Si vox generaliter accipiatur, diuidenda est ars in κακοτεχνίαν & ματαιοτεχνίαν ἢ κακοτεχνίαν, vt magica. Huc refer diuisiones artium.

Notitia incerta est, Opinio, vel Suspicio.

Habitus voluntatis est Bonus, *vt virtus*, vel Malus, *vt vitium.*

DE SECVNDA SPECIE qualitatis.

Naturalis potentia est vis & aptitudo substantiæ, vel subiecti natura insita, vt

ta, vt ſit certarum actionum cauſa, *vt in Orlando naturalis vis eſt ad componendam harmoniam. In homine aptitudo eſt loquendi: in ſanguineo naturalis procliuitas ad lætitiam: in ventriculo eſt vis naturalis vertendi cibum: in epate vis eſt ex ſanguine gignendi ſpiritus. Huc pertinent iuſtitia originalis, στοργὴ naturalis, liberum arbitrium.*

Differt a διαθέσει. Διάθεσις eſt acquiſita, naturalis potentia non eſt accerſita, ſed rei ingenerata. ἀδυναμία φυσικὴ eſt certæ δυνάμεως defectus innatus, ſeu eſt inhabilitas naturalis ad actiones quaſdam, *vt in homine naturalis ἀδυναμία eſt non poſſe volare. Sic natura eſſe valetudinarium, indocilem, infantem, balbum, ſurdaſtrum, cæcum, ſunt naturales impotentiæ. Huc pertinet peccatum originis, concupiſcentia vitioſa, hoc eſt, procliuitas ad malum & ineptitudo ad bonum. Ad prædicamentum hoc pertinent Muſa & Minerua Poetarum. Item omnes vires herbarum. Item omnes naturales conſenſiones & diſſenſiones.*

DE TERTIA SPECIE qualitatis.

Patibilis qualitas eſt, quæ paſſionem ſeu affectionem ſenſui infert, vel ab affectione oritur.

Patibilis intelligendum eſt actiue, non paſſiue.

Hæc igitur eſt qualitas, vel Afficiens vel Affecta.

Afficiens quæ afficit ſenſus, *vt dulce-*

do afficit gustatum, visum lux & color. Qualitates enim, quæ mouent sensus, sunt ipsa obiecta sensuum, primæ qualitates & secundæ. *Sic olfactum afficiunt odores, sapores in sensu gustatus afficiũt gustatum, tactum mouent calor, siccitas, frigiditas & humiditas qualitates primæ, eundem afficiunt, asperum lene, aridum lubricum, graue leue, molle durum, crassum & subtile qualitates secundæ.*

OBIECTIO

Obiiciat quis, *Nigredo panni ad primam pertinet speciem qualitatis, non igitur ad tertiam.* Respondeo, per distinctionem, quatenus *nigredo illa consideratur vt obiectũ visus, est patibilis qualitas.* Quatenus vero *spectatur eius subiectum vt pannus, cui cõstanter inest, eatenus est habitus. Sic* ὀργὴ *quatenus naturalis impressa intelligitur, est naturalis potentia, quatenus vero spectatur motus cordis, est affectus, & huc pertinet. Sic scientia, si eius species consideres, est in prædicamento qualitatis, si vero refertur ad simile, est quodãmodo relatum.*

Qualitates affectæ sunt, quæ ortum habent ab affectione aliqua. Possuntq; dici affectiones Durabiles, *quia sunt diuturnæ & permanentes, vt pallor e morbo diuturno, insania e tristitia, stupor ex metu diuturno, iracundia ex ira sæpe iterata.* vel πάθη, quæ sunt Subitę & repentinæ perturbationes ac immutationes.

Suntq; vel Corporis, vel Animi.

Corpo-

Corporis, *vt rubor ex pudore natus.*

Animi, *Lætitia, tristitia, spes & metus.*

Affectæ qualitates vt habitus, diu permanent, ita vt vix possint tolli, πάθη vero vt διαθέσεις, id est, initia habituum, non sunt durabilia, sed vt subito oriuntur, ita statim euanescunt.

DE QVARTA SPECIE, Figura & forma.

Figura & forma hic intelligitur accidentalis siue exterior, quæ nihil aliud est, quam illa species, quæ in exteriore rei superficie consistit. *Nam forma substantialis siue interna, quæ pars est essentiæ huc non pertinet.*

Differunt autem figura & forma sic. Figura proprie de rebus mathematicis dicitur. *Estq; comprehensio literarum vel lineamentorum, quæ ex lineis oriuntur, vt triangulum, quadrangulum, circulus, rotunditas, rectitudo.* Memineris quod supra diximus, *spatium figurarum pertinere ad Categoriam quantitatis, sed ipsam compositionem figurarum & effigiem rerum e quantitatibus ortam, huc pertinere.* Forma autem dicitur de rebus naturalibus, siue animatæ sint siue inanimatæ res. *Sed hoc discrimen non obseruatur.*

Pertinent igitur ad 4 speciem, figuræ omnes mathematicorum, literarum, animantium, formæ fabrilium operum, *vt mensæ, nauis, currus, cathedræ, ianuæ, tabulæ.*

REGVLÆ DE QVAlitatibus.

1. Qualitati inest contrarietas, id est, *qualitates sunt sibi inuicem aduersæ, vt caliditas & frigiditas, ficcitas & humiditas.*

Ramus, vt diximus, contrarietatem soli qualitati conuenire negat, quod quædam substantiæ etiam aduersæ sint, itemq; actiones. Præterea quartæ speciei qualitatis proprietas ista non conuenit; figuræ enim inter se aduersæ non sunt, ipsis Aristotelicis testibus. Nam vbi nulla est actio, nulla potest exsistere pugna. Iam figurarum nulla per se est efficacia & actio, quia sunt linearum positus.

2. Qualitates recipiunt magis & minus, *vt albus potest albior esse albo, eruditus, eruditior erudito. Exemplum quod habet Philippus non conuenit. Calor inquit, in iuuenili corpore iam est fortior, iam debilior, amor in adolescentulo iam est ardentior, iam languidior. Nam calor huius non est magis calor, quam illius, & amor huius non est magis amor quam illius, sed ille maior esse potest, hic minor.*

Hæc secunda proprietas non valet in abstracto. *Nam eruditio Ciceronis non est magis eruditio quam Aristotelis. Definitio enim eruditionis vtriq; æqualiter conuenit, etsi maior esse potest eruditio Aristotelis, Ciceronis minor. Sic morbus hic non est magis morbus quam ille, at alter difficilior esse potest, & ægrotus iam magis, iam minus ægrotat.* Præterea hæc proprietas etiam actioni & passioni conuenit, conuenit etiam quibusdam relatiuis, vt aliud alio est similius, vel dissimilius.

3. Multæ relationes oriuntur ex qualitatibus. *Nam ratione qualitatum res dicuntur similes,*

vel

vel dissimiles, vt ratione eloquentiæ Nestor ac Cicero sunt similes, secundum pulcritudinē & deformitatem Nereus & Thersites fuere dissimiles.

DE PRÆDICAMENTO RElationis. CAP. VII.

Hactenus de Categoriis mere absolutorum, id est, eorum, quæ habent quoddam esse absq; respectu ad aliud. Nunc de Categoria relatorum, id est, eorum, quorum esse totum in respectu ad aliud consistit, scilicet quibus adhæret respectus & relatio.

Vocabula absoluta sunt, quæ per se absque respectu intelliguntur, & definiuntur.

Aristoteles inuertit methodum. Nam qualitatis Categoriam postponit relationi, & sic prædicamenta absoluta a se inuicem diuellit, interpositione Relationis.

Relatiua sunt, quæ per se non collata cum aliis, neq; intelliguntur, neque definiuntur, *vt signum est rei signatæ signum, esse patris, refertur ad filium.*

Mus rodens panem sacramentalem, non rodit corpus Christi, quia pereuntibus terminis, perit relatio. *Muri corpus Christi non est sacramentum, sed hominibus.*

Relatum est, quod ad aliud refertur.

Relatio qua refertur.

Aristoteles vocat relata τὰ πρός τι. Quintilianus ad aliquid, Cicero, quæ cum alio conferuntur & affecta. Relationem vero Collationem.

Iris ante diluuium fuit in prædicamento substantiæ, quatenus nubes ista significatur, in qua est. Post diluuium est in prædicamēto relationis, quia est signum gratiæ.

Aristotelica appellatio est elliptica, τὰ πρός τι scilicet ἔχοντα τινὰ σχέσιν, id est, ea quæ ad aliquid habent aliquam habitudinem & affectionem. Sic *pater & filius relata sunt, paternitas & filiatio relatio est.* Interdum tamen confunduntur relatio & relatum per tropum μετωνυμίας, *vt cum Paulus circumcisionem dicit pro circumcisis.*

Magnum & paruum non sunt relata, vt Aristoteles inquit, sed aduersa, quia possum definire magnum sine mentione parui, graue sine mentione leuis.

Relata aut sunt Vere talia, aut Quasi. *Seu sunt proprie relata, vel per quantam κατάχρησιν seu, vt in scholis loquuntur,* Alia relata sunt secundum esse, alia secundum dici.

Prioris generis sunt quæcunq; hoc ipsum quod sunt, aliorum sunt, *id est, quæ neq; esse, neq; intelligi possunt sine ratione alterius, vt domini vis, natura & significatio, nihil aliud est, nisi respectus ad seruum. Discipuli natura in eo consistit, quod refertur ad præceptorem. Similitudinis nihil aliud est esse, quam duorum similium congruentia. Signi esse nihil aliud est, quam quodammodo habere se ad rem signatam.*

Poste-

Posterioris generis relata sunt, quibus adhæret respectus contingens, *id est, talis, vt citra eum per se intelligi possint.* Seu quæcunque hoc ipsum quod sunt, aliorum esse dicuntur. *Talia sunt multa absoluta, vt quædam nomina habituum & affectuũ, quæ habent se relatiue quodammodo ad subiecta.* Seu, quibus adhæret quædam relatio, sed non necessaria, *vt amori inest respectus ad obiectum seu rem amatam. Iræ adhæret respectus ad rem, cui irascimur. Fides intuetur obiectum (scilicet mediatorem) quo nititur, vt promissionis verbum & Christi obedientiam, spes rem exspectatam. Sic scientia est rei scibilis scientia. Ala est alitis seu alati ala. Sic Aristoteli & eius sectis inter relatiua numerãtur magnum & paruum, graue & leue, sed hæc proprie aduersa sunt, & per abusionem vocabuli relata dici possunt, seu relatiua secundum dici.*

Relata secundum dici continentur in absoluto aliquo prædicamento, *vt scientia in qualitate*, secũdario vero in prædicamento relationis.

Relata vero secundum esse: seu vera & mera relata, tantum in categoria relationis ponuntur.

Porro relatorum alia sunt Realia, alia Rationis. Seu relatio est realis vel rationis, *Græce* φύσει *&* θέσει *positione.*

Realia sunt, quæ respectum & ordi-

nem inter se habent sua natura absque omni mentis nostræ cogitatione, *vt pater refertur ad filium sua natura, etsi nullius cogitatio accedat.*

Relata rationis sunt, quorũ relatio & respectus totus pendet a mente nostra, illa cõferente, *vt dextrum & sinistrum in columna vel domo, relata sunt rationis. In columna enim vel domo nihil dextrum & sinistrum est. Quod vero dextrum & sinistrum in iis statuitur, id fit, quia mihi vel tibi, alia pars ad dextram, alia ad sinistram est.*

Philippus Melanchthon & qui eum sequũtur, rationis relata aliter accipiunt quam nos. Vocant enim rationis relata, quæ consilio hominis instituta & ordinata sunt. *Sic limes, dominus, seruus, magistratus, subditus, præceptor, discipulus relata rationis erunt.* Verum hæc omnia nobis sunt relata realia. Nam constituta sunt a iure naturali secundario, & sunt entia realia extra animam.

Omne relatiuum versatur inter duo, quorum alterum vocatur Fundamentum (*quidam vocant terminum a quo*): alterum Terminus (*quidam vocant terminum ad quem.*) Et quidem fundamentum vocatur sæpe Materiale, terminus vero Formale.

Fundamentum est res, a qua oritur rela-

relatio, *seu est subiectum, cui adhærescit relatum*. Dicitur fundamentum, quia *in eo fundatur, hoc est, incipit, & illo tantum fundamento nititur relatio*. Fundamentum sumitur autem ex categoria substantiæ, *vt sacramenti fundamentum est elementum panis, vinum, aqua:* aut ex quantitate, *vt æqualitatis fundamentum est magnitudo:* aut ex qualitate, *vt similitudinis fundamentum est ars, forma vel virtus. Paternitatis fundamentum est vis generandi, quæ qualitas est secundæ speciei, vel persona quædam, quæ substantia est*. Quorundam fundamentum etiam videtur esse actio *sic actio generandi, paternitatis fundamentum constitui potest*.

Terminus est res, ad quam tendit relatio. *Interdum petitur ab officio vel causa finali. Interdum ab obiecto (videlicet cum applicatio fuerit) interdum a cognato vel simili (videlicet cum collatio fuerit.)* Diciturq; relatum.

Formale etiam interdum accipitur pro ipsa relatione. *Antea dixi terminum appellari relatum, quia est absolutio seu perfectio relati.*

REGVLÆ.

1. Terminus non potest manere sublato fundamento. *Accidentium enim nulla est subsistentia sine subiectis, vt sublata aqua non est baptismus, sublato pane & vino non est sacramentũ.*

2. Fundamenta seu materialia sæpe possunt manere exstinctis relationibus, seu sublato for-

mali seu termino, *vt in baptismo tollitur terminus peccati, id est, reatus, manet fundamentum, id est, ipse morbus seu vitiositas contraria legi. Sic lapis altaris in ecclesia manere potest sublata significatione, vt limes est vocabulum relatiuum, eius fundamentum est lapis. Terminus est distinctio agrorum. Legis fundamentum est notitia, terminus obligare ad obedientiam vel pœnam.*

3. Cuilibet relatiuo respondet suum correlatiuum, *vt gratiæ correlatiuum est fauor, tutoris pupillus, domini seruus.*

Correlatum est, cuius comparatione relatum exsistit, *vt gener est correlatiuũ socri*, Græce dicitur ἀντιστρέφον, id est, conuertibile, *quia cum suo relato conuertitur.*

Correlatum, aut nomine Diuersum a relato, aut Idem.

Diuersum nomine, *vt gener & socer, magistratus ciuitas, miles dux, auctor opus.*

Idem nomine, *vt simile, par, æquale, hospes, frater, soror.*

Sed nihil interest siue correlatum dicas relatum, & relatum dicas correlatum. Nam in relationibus mutuum est iter, sicut eadem est via ducens ab vrbe Fridbergensi Marpurgum & Marpurgo Fridbergam.

4. Omnia relatiua dicuntur πρὸς ἀντιστρέφοντα, id est, *inter se mutuo conuertuntur, seu sunt reciproca, vt reus est qui accusatur ab actore, & actor est qui accusat reum. Sensus rem sensilem sentit, & res sensilis a sensu sentitur. Auctor est operis auctor,*

& opus

& opus est effectum auctoris. Miles est ducis miles & dux militis. Mœcenas est in gratia Augusti, & Augustus fauet Mœcenati.

5. Relata sunt simul natura, id est, *sunt sibi mutuæ causæ & essentiæ, simul oriuntur & intereunt.* Posito vno, ponitur & alterum, peremto vno perimitur & alterum. (Fundamētum quidam manet, sed relatio perit.) Hæc regula vera est potissimum de relatis veris seu propriis.

6. Relatis inest contrarietas. *Nam relata sunt partim consentanea, partim dissentanea.* Cōsentanea, *cum mutuo se produnt, atq; definiendo explicāt.* Dissentanea *sunt, quatenus opponuntur, vt pater est. E. non habet filium.*

7. Deniq; recipiunt magis & minus. *Nam similis alius alij magis, quam alius similis est. Sed hæc proprietas neque omnibus relatis competit, neque solis.*

Regulæ de iis, quæ pertinent ad prædicamentum relationis.

1. Omnis vox, quæ ad aliud necessario refertur, huius categoriæ est, *vt patronus & cliens, patronus & libertus in iure, prius & posterius, hospes, ciuis, socius, popularis, collega, hostis.*

2. Nomina cognationis & affinitatis, *vt nepos, neptis, atauus, proauus, vitricus priuignus, affinis sororius, socer gener, socrus nurus, leuir glos,*

3. Nomina cum præpositione, *C O N,* composita, *vt commilito, conuictus, contubernalis, condiscipulus, competitor, cohabitator, coniunx.*

4. Signa externa, *vt fasces & magistratus, toga & senator, cucullus & monachus, circulus panni & Iudæus, sceptrum, diadema, laurea, fasces, vexillum, sigillum.*

5. Nomina sexus, *vt mas & fœmina.*

6. Nomina contractus, *vt emtor venditor: locator conductor.*

7. Nomina ætatis, *iuuentus senectus, puer adolescens.*

8. Conditionis deniq; nomina, & institutionis, *vt diues pauper, liber seruus, ingenuus libertinus, præceptor discipulus, dominus seruus, hera & ancilla.*

9. Omnia dignitatum & officiorum vocabula, *dictator, consul. prætor, quæstor.* Officiorum, *vt lectitor, apparitor, carnifex, portitor.*

10. Omnia iuris ciuilis vocabula, *vt fraus, iniuria, dolus, pactum, promissum, testamentum, hæreditas. Contractuum item & obligationum.*

11. Sensuum nomina, *visus, auditus, gustus, tactus, olfactus.*

DE PRÆDICAMENTO actionis. CAP. VIII.

Actio est, secundum quam agere dicimur. *Ad prædicamentum igitur actionis refertur, quicquid agendi significationem habet, vt calefacere est actio ignis in lignum. Docere est actio præceptoris in discipulum; iustificatio est actio Dei seu applicatio misericordiæ propter Christum promissæ ad personam credentem.*

Actio primũ duplex est, alia Transi-

tiua,

tiua, μεταβατική; alia Intransitiua, seu immanens.

Transitiua est, quæ ab agente in aliud scilicet patiens transit. *Sic calefactio & sectio fiunt in patiente.*

Intransitiua est, quæ ab agente in aliud non transit, sed in eo manet, *vt cum anima intelligit se ipsam, cum Deus contemplatur & comprehendit seipsum.*

2. Actionum alia est Naturalis, alia Voluntaria: alia Mixta.

Naturalis est, quæ instinctu naturali accipitur, sine deliberatione aliqua, *vt generatio frugum, motus solis, concoctio cibi.*

Voluntaria est, quæ consilio suscipitur, id est, *cuius causa est voluntas, vt omnes actiones œconomicæ, politicæ, theologicæ & philosophicæ.*

Estq; duplex Intellectus, *vt disputatio, scriptio, actiones artium, pictio, meditatio, cogitatio*, vel Voluntatis. Quæ triplices sunt.

OEconomicæ, *vt fouere liberos, pascere, erudire, regere in disciplina.*

Politicæ, *vt ædificare, bellare, dicere sententiam in senatu.*

Ecclesiasticæ seu Theologicæ, *omnes Ceremoniæ, vt Sacramenta, quæ sunt Baptismus & cœna Domini. Sacrificia quæ duplicia,* ἱλαστικὸν & εὐχαριστικόν.

Mixta actio est, quæ partim voluntaria, partim naturalis, *vt peccare. Peccamus enim interdum natura, partim voluntate.*

PROPRIETATES ACTIOnis duæ.

Actioni inest contrarietas, *vt humectatio exsiccationi contraria est, altera alteri.*

Actio suscipit magis & minus, id est, *iam vehemens est, iam remissa, vt iam celeriter scribo, iam tarde, iam eo pedetentim, iam curro.*

DE PRÆDICAMENTO Passionis. CAP. IX.

Passio est actionis illatio seu effectus ipse. *Ad prædicamentum igitur passionis pertinent omnia, quæ habent significationem patiendi, vt sanari, verberari, doceri. Item sanatio, verberatio, castigatio. Actio enim & passio realiter non differunt, sed ratione tantum, vt castigatio actio & passio est. Actio est, quatenus a præceptore infertur discipulo. Passio est, quatenus a discipulo recipitur.*

Obiiciat quis, *Quæ prædicamentis differunt, realiter differunt. Actiones & passiones prædicamentis differunt. E. realiter differunt.* Assumtionem probo, quia *actionis prædicamentum est disiunctum a prædicamento passionis.* Respondeo, propositio non est generaliter vera. *Non enim omnia prædicamenta realiter differunt, teste etiam ipso Aristotele cap. 3. Physi.* Ad hoc prædicamentũ Aristoteles refert sensus, quod sentire sit pati, visus, auditus, & cæteri sensus

sint

ſint paſſiones, ſed meo iudicio hæ ſunt mixtæ categoriæ, ſeu partim actiones, partim paſſiones. Quatenus viſus comprehendit obiectum, actio eſt, quatenus vero ab obiecto patitur, ſeu quatenus ſpeciem rei obiectæ intra oculum recipit, paſſio eſt.

DE QVANDO PRÆDICAMENTO. CAP. X.

Hoc prædicamentum complectitur omnes voces, quæ ſunt temporis notationes, ſeu quibus in tempore aliquid fieri declaratur, & quibus generis loco dari poteſt particula infinita, *vt aliquando, nuper, pridem, hyeme, mane, diluculo, meridie, veſperi.* Alij malunt hanc categoriam vocare aliquãdo, ſeu in tempore. Nam tempus per ſe conſideratum eſt in quantitate: ita quando erit temporis affectio, ſecundum quam aliquid fuiſſe dicitur.

DE PRÆDICAMENTO Vbi. CAP. XI.

Prædicamentum vbi, ſeu, vt alij malunt, alicubi, eſt domicilium omnium vocabulorũ, quæ ſignificant alicubi eſſe, *vt domi, ruri, Romæ, Marpurgi, in foro.* Huc igitur referuntur omnia, quibus loco generis dari poteſt particula *alicubi* infinita.

Quid audio, *an igitur tempus & locum his prædicamentis excludis?*

Reſpondeo, omnino, idq; ſumma ratione. Cũ enim Ariſtotelis conſilium fuerit omnia entia, quę ſunt in rerũ natura ad certum domiciliũ re-

mittere, in quo acquiesceret, aliis prædicamentis alia attribuit. His autem duobus dedit notationes temporis & loci, & priori quidem satis expedite omnia vocabula, quæ significant esse in tempore, quibus generis loco attribui potest particula infinita πότε Posteriori vero omnia vocabula, quæ significant esse aut versari in loco, quibus generis vice attribui potest particula που̃. Iam vero locus ac tẽpus, ac quæ sub his continentur, per hæc definiri non possunt. E. alio pertinent, videlicet ad Categoriam quantitatis. Cæterũ tribus argumentis probari potest, greca πότε & που̃ interpretanda esse his particulis *aliquando & alicubi* non vero interrogationis *Quando* & *Vbi*, vt Boetius fecit quem Philip. sequitur. *Primum* sumitur ex tono. Nam apud Aristotelem scribitur πότε, cum interrogatiuum ποτὲ scribi velit. *Secundum* ab auctoritate Dialecticorum, qui hos titulos πότε & που̃ circumloquuntur his formulis, in tempore, in loco, quæ quid sunt aliud, quam aliquando & alicubi? *Tertium* a communi prædicamentorum natura, quæ est quod in singulis definitionibus genus esse possunt omniũ, quę sub his collocantur. At interrogationes quando & vbi, nullo modo genera esse possunt vllorum vocabulorum. Itaq; non recte vsurpantur pro titulis horum prædicamentorum.

DE PRÆDICAMENTO *Situs.* CAP. XII.

Situs significat statum seu positum corpo-

corporis & partium eius. *Valde vicinum est hoc prædicamentum Categoriæ Vbi. Nam circumscriptionum corporis & locorũ eius positio ac situs partium corporis coniunctus est. Talia sunt accumbere, stare, iacere, supinum esse, capite esse erecto vel inclinato.*

Situs est Naturalis, quem natura ordinauit, *vt caput alio situm est loco, alio crura:* vel Voluntarius, qui pendet ab hominum voluntate, *vt accumbere.*

DE PRÆDICAMENTO habitus. CAP. XIII.

Habitus hic significat amictum. *Sed notandum est, non pertinere huc nec materiam nec figuram amictus, sed rationem vestiendi, id est, huc non collocanda sunt, tunica, thorax, calceus, pileus, galea, clypeus, sed calceatum, pileatum, tunicatum, clypeatum, petasatum esse: quemadmodũ ad quando & vbi, non referuntur tempus & locus, sed temporeum & locatum esse.*

Hactenus de prędicamentis, quæ complexus est Murmellius his versibus.

Arbor, sex, seruos feruore refrigerat vstos,
Ruri cras stabo, nec tunicatus ero.

Item alius hoc disticho.

Filius Arnolphi stans & calefactus in armis,
In magno campo pugnabat fortiter olim.

DE POSTPRÆDICAmentis. CAP. XIIII.

Postprædicamenta vocant vocabu-

lorum aliquot ambiguorum enarrationem, quæ doctrinæ prædicamentorum subiicitur.

Ea sunt oppositio, prius, simul, motus, & verbi habere.

DE OPPOSITORVM QVAtuor modis.

Sunt enim vel Relata, *pater & filius*: vel Aduersa, *calor & frigus*; vel Priuantia, *lux & tenebræ*: vel Contradicentia, *est, & non est.*

DE PRIORIS QVINque modis.

1. Prius secundum tempus: *sic senex iuuene dicitur prior, in procreatione hominis prius tempore est animatū quam animal, & animal quam homo.* Et quidem Ramus pronuntiare dubitat, generalia specialibus in rerū natura esse priora.

2. Prius consecutione nimirum, quod non confertur ad essentiæ consequentiam, *sic vnum est prius duobus, quia si duo sunt, est vnum, non contra, vbi vnum est, duo sunt.* Hoc modo etiam Ramus ait, generalia sunt priora specialibus, *vt vnum est magis generale & vniuersale, quam duo. Punctum est magis vniuersale, quam linea; vnum igitur prius est quam duo, & punctum prius quam linea.*

3. Prius secundum quendam ordinē, *vt in demonstratiuis sciētiis principia sunt priora lineamentis. In Grammatica literæ priores syllabis. Syllabæ priores dictionibus. Sic senatorū alius alio ordine*

dine prior. Sic Deus, pater est, id est, persona Deitatis. Huiusmodi consideratio facit absolutionē huius obiectionis. *Quæ simul sunt natura, ea & in methodo simul sunt, nullumque alio prius est, aut posterius. Species eiusdem generis, vt homo & bestia, sunt natura simul, nec alterū altero prius aut notius est. E. & in methodica tractatione simul sunt, vt profitetur Aristoteles, neque altera species altera est prior aut notior.* Respondeo, Est tamen aliqua differentia ordinis, vt in arte speciē hanc illi præponas. *Sic inter duos licentiatos pares æque doctos, non est quidem prius dignitatis & honoris, sed* ἀξίας *& ordinis: sic cum natura Deus sit æque filius atque pater, vt filius dicatur secunda persona Deitatis.*

4. Prius dicitur, quod est præstabilius & honorabilius, vulgo dicitur prius dignitate, *vt prior est consul scriba publico, prior est rex Satrapa. Sic Aristoteles ait, generalia esse honorabiliora, quia causam contineant specialium.*

5. Quintus & postremus modus prioris, quæ mutuo ad se inuicem sequuntur, est quorum vnum alterius quodammodo est causa. Hoc dicitur natura prius, *vt vera definitio prior est definito.*

Sed hi quinque modi longe rectius ad quatuor reuocantur. Nam secundus ad prius natura pertinet. Prius enim natura est duplex. Alterum Reciprocum, alterum Non reciprocum. Reciprocum, cum mutua est cōsequutio inter duo. *Hic prius illud est, quod alterius causa exsistit. Sic spiritus sanctus & fides iustificans conuer-*

tuntur, in quo enim spiritus sanctus est, in eo etiam est fides, & in quo fides est, ille etiam habet spiritum sanctum, sed fides non est causa spiritus sancti, sed spiritus sanctus fidei. Etsi igitur spiritus sanctus non est prior tempore quam fides, vt nec sol prior est sparsione radiorum, tamen natura prior est fide: sic fides & iustificatio tempore simul sunt, sed fides natura prior est iustificatione, quia fides quodammodo causa est iustificationis. Non reciprocum est, cum alterum quidem ad aliud consequitur, sed non contra. *Hic prius illud est natura quod consequitur, posterius quod non consequitur.*

SIMVL ἅμα.

Duo quælibet sunt simul. 1. κατὰ τὸν χρόνον, *vt quorum ortus est simul.* 2. τῇ φύσει, *vt quæ conuertuntur, ita vt alterum alteri non sit causa.* Talia sunt relata & correlata ipsorum. *Pater enim est filij pater, & filius est patris filius, neq; pater est magis causa filij & filius est patris.* Cæterum vt Ramus ait; Relata sunt natura simul dupliciter. *Sunt æque nota, nec quicquam in iis notitia prius vel posterius. Quia mutuæ sunt essentiæ & mutuæ sibi causæ.*

HABERE.

Habere multis modis dicitur. Dicitur enim habere, *qualitatem, quantitatem, vestem, annulum in digito, pedem, vinum in cantharo, fundum siue domum, mulierem.* Ramus hoc postprædicamentum omnium ineptissimum esse ait. Lexicon enim de vocabulorum significationibus

varium & multiplex, & a multis Grammaticis Græce & Latine collectum habemus. Nullus tamen adhuc ineptus fuit, qui tales significationum quisquilias assumeret.

MOTVS.

Motus multifariam dicitur. Est enim motus vel Generatio, vel Corruptio, vel Alteratio, Augmentatio, Diminutio & motus Localis. Sed cum motus reuera idem sit quod actio, etiam species eius ad actionem referendæ sunt.

Hactenus de Inuentione, sequitur doctrina de Dispositione seu iudicio, hoc est, doctrina axiomatis, syllogismi & methodi.

PARTITIONVM DIALECTICARVM

M. RODOLPHI GOclenij Professoris Academici.

LIBER II.

DE DISPOSITIONE.

CAP. I.

DISPOSITIO est altera Dialecticæ pars, quæ res inuentas collocat, vt de iis iudicium fiat. *Hinc κριτικὴ vulgo dicitur, id est, Iudiciaria, vt dicit Talæus.*

Dispositio est Simplex, *axiomatis scilicet*, vel Composita, *syllogismi scilicet & methodi.*

Axioma est dispositio argumenti cum argumento, seu termini cum termino, qua aliquid esse, vel non esse iudicatur.

Alias Enuntiatio & Propositio Græce πρότασις.

Iudicii appellationem impugnat Iacobus Schechius in epist. aduersus Ram. itemque Fortunatus Crellius. Sed Ramus genere scilicet pro, specie, iudicii ap-

cii appellatione vtitur, metonymicῶs pro ipsa dispositione. Disponimus enim ad bene iudicandum scilicet de inuentis. Itaq; hic metonymia est finis pro destinato. Habet pro se Ramus ipsum Cic. & Melanchth. quorũ vterq; secutus Stoicos, diuidit Dialecticam in inuentricem & iudicatricem.

Axioma est] Philippi definitio tantum vni enunciationum speciei conuenit. Ramus olim sic definiuit. *Enunciatio est dispositio, qua argumentum cum argumento enunciatur.* Hanc Piscator prefert postremæ eiusdem, sed minus recte. Nam enũciatio est, *aut dies est, aut nox est*, & tamen neutra pars enũciationis de altera dicitur & prędicatur. *Si sol ortus est, dies est.* Posterius affirmatur potius cum priore quã de priore. Ideo illa quoque definitio nimis angusta est, id est, cõpetit potius simplici quã compositæ. Sugillat autem in postrema Rami clausulam, non tãtum esse (*vt cœlum est*) sed etiam hoc est, illud vel tale enunciatione iudicetur. (*vt cœlum est supra*). Sed hoc est, nodum scilicet in scirpo quærere. Verbo enim esse generaliter vtitur, cum ens sit terminus transcendens, & modi essendi sunt multi, *vt homo scilicet ὑπαρκτικῶς substantialiter. Hic homo est asinus scilicet κατὰ ποιότητα seu metaphorice. Hic homo est magnus κατὰ ποσότητα.* Neq; hæc Aristotelis satis rotunda est; *Propositio est oratio perfecta verum aut falsum declarans.* Affirmatio enim & negatio affectiones sunt enuntiationis propriores & cognatiores formę eius, quam veritas & falsitas materiæ: imo quia affirmatio est partiũ enuntiationis propositio. Ne-

gatio vero partium diuisio, videntur dare essentiam enuntiationi, vt ita pro ipsa forma haberi possint. Præterea affirmatio & negatio priores sunt natura, quam veritas & falsitas, *vt subiectum prius est adiuncto.* Nam veritas & falsitas inest affirmationi & negationi tanquam subiecto, hoc est, enuntiatum affirmatum est verum vel falsum. Negatum enuntiatum est verum, vel falsum.

DE PARTIBVS ENVNtiationis. CAP. II.

Partes enuntiationis sunt Antecedens, & Consequens. Vulgo propositionis termini Græce ὅροι, & extrema Græce ἄκρα. *Aristoteles* 1.*cap.prio.*1.

Terminus est, in quem propositio resoluitur.

Estq; Ἡγούμενος, vel Ὑποκείμενος.

Hæ partes vinculo seu copula coniunguntur.

Cum dico, *Cicero est.* Hic Aristotelici vocant est, est secundi adiacentis. *Cicero est mortuus,* hic vocant est, *est tertij adiacentis.* Hinc eorum regula; *Ab est tertij adiacentis ad est secundi adiacentis valet consecutio, vt si Augustus est Elector, certe erit.* Ramus sic diceret; *Si subiectum cum adiuncto est, profecto subiectum erit.* Vocant etiam est tertij adiecti additamentum ad prædicatum, προσκατηγορούμενον, *vt Deus est iustus.*

Vincu-

Vinculum iſtud eſt Verbi, vel Coniunctionis.

Eſtq; modo Expreſſum, *vt aqua eſt humida:* modo Intellectum, *vt aqua humectat.*

Vinculum coniunctionis eſt, nota coniunctionis Grammatica, vel particula huic æquiualens, *vt talis, tantus, quantus. Talis erat populus, qualis eſt Sacerdos.*

Ariſtotelici partes enuntiationis faciũt duas *nomen & verbum*, quod vulgo dicunt *ſubiectum & prædicatum, ſuppoſitum & appoſitum.* Quid hic deſiderem, attendite. Primum, verbũ non ſemper tenet locum prædicati, ſæpe enim nomen prædicatum eſt, *vt homo eſt animans.* Deinde in modificatis, quas vocant modos, modo nomen eſt, modo verbum, modo aduerbium, vt *Contingit hominem diteſcere, contingens homo diteſcit, & contingenter eſt hominem diteſcere.* Subiecti & prædicati appellationes rectius ſimplicium enuntiationum, quam compoſitarũ partibus tribuuntur. Cum enim dico, *cœlum eſt ſerenum*, prædicatur ſerenitas de ſubiecto cœlo, cum dico, *ſi cœlum erit ſerenum, proficiſcar,* conſequens enuntiatur affirmate cum antecedente.

OBIECTIO.

Obiiciat aliquis; *ne quidem partitio illa, qua diſtinguuntur partes enuntiationis vocibus antecedentis & conſequentis, bona eſt,* quia & parti-

tibus *syllogismi conuenit.* Respondeo, aliter accipi voces istas in doctrina syllogistica, aliter in axiomatica. *Itaq; vocabula tantum vtriq; doctrinæ esse communia, non vero rem ipsam.*

Porro. Terminus est Simplex interdum: interdum vero Multifarius, seu pluribus vocibus, tanquam partibus cõstans. *Hinc obseruatio Philippica*; Tam subiecto, quam prædicato additur descriptio seu determinatio aliqua: *vt panis cœnæ est corpus Christi, quod pro nobis traditur*, est determinatio & appendix prædicati, Græceq; vocatur προσκατηγορούμενον adprædicatum. *Fides mortua non iustificat*; hic *mortua* est subiecti pars. *Mors est mala per se*, *hic per se* est determinatio prædicati.

Intellectum] *vt hoc fac & viues. Irascimini & nolite peccare.* Item, *Fide viris, flebis, thesauris fide, dolebis.* Cum dico, *Deus est, reuera exsistit:* Copula inest verbo, vt sensus sit, *Deus reuera est ens.*

DE AXIOMATE AFFIRMANte & negante. CAP. III.

Axioma est Affirmans, vel Negans.

Aristotelici diuidunt affirmantem in Finitam & in Infinitam.

Finitam vocant, quæ certum quippiam enuntiat, *vt hæretici sunt astuti.*

Infinitam, quæ incertum & indetermi-

terminatum enuntiat, *vt hæretici non sunt astuti.*

Affirmans est, cuius Vinculum affirmatur, *vt Verres est fur, non necessario. Homerus est cæcus.*

Negans contra, cuius vinculum negatur, *vt nulla calamitas sola. Verres non est fur necessario. Non si sapiens est, miser est.*

Affirmans etiam sic definiri potest, *quæ asseuerat aliquid esse.* Negans contra, *quæ asseuerat aliquid non esse.* Philippus definit affirmantem, *quæ asseuerat aliquid adesse seu inesse subiecto.* Sed hæc definitio conuenit tantum propositioni simplici.

Cæterum in negatiua propositione vinculum negatur modo Explicite, modo Implicite.

Explicite cum particula negãs proxime pręcedit vinculum seu copulam, *vt Coruus non est albus.*

Implicite cum particula negandi, inest signo, quod additur subiecto, *vt nulla fides fronti.*

Probe hic obseruandũ, ne fiat elenchus propositionis affirmatæ, vel negatæ. Particula *ne* negatiua sit conuenienti loco posita, vbi reuera distrahit. Hæc affirmans est, *Odi sapientem qui sibi ipsi non sapit.* Item, *rei non bonæ consuetudo pessima est.* Hic enim nega-

tio est addita parti, vel determinationi ſubiecti. Illic vero negatio additur determinationi prædicati. Atq; ita in neutra propoſitione negatio ſpargitur in copulam. Hæc eſt negans, *hic vir non eſt malus*. Negans item eſt, *Philoſophia, quæ ſtatuit ſummum bonum eſſe voluptatem, non eſt vera.* Affirmans vero eſt, *Philoſophia, quæ voluptatem non ſtatuit ſummum bonum, eſt vera.* Hic eſt affirmatio, quia particula negans non remouet prædicatum a ſubiecto, nam non eſt conuenienti loco poſita, ſed inſerta eſt deſcriptioni ſeu determinationi ſubiecti.

Hinc eſt enuntiatorum contradictio, quæ eſt eiuſdem axiomatis affirmatio & negatio, *vt ferrum ſit pulcrius vſu; ferrum non ſit pulcrius vſu.*

REGVLA.

Contradicentes propoſitiones ſimul veræ eſſe non poſſunt. At falſæ eſſe poſſunt.

Conſectarium affirmationis, & negationis eſt contradictio, cum vna eademq; res affirmatur ſimul & negatur. Quidam ex Ariſtotelicis ita tractant, vt tantum ſimplicibus propoſitionibus accidat, ſed error hic manifeſtus eſt, cum etiam compoſitæ enuntiationi contradicatur, *vt ſi fortuna volet, fies de Rhetore conſul.*

DE AXIOMATE VERO & falſo. CAP. IIII.

Deinde axioma eſt, verum vel falſum.

Verum

Verum est, quod pronuntiat, vti res est: seu est affirmatio cum re consentiens.

Falsum contra.

Vtrunq; est, Necessarium, vel Contingens.

Necessarium est, quod aliter se habere non potest. *Aristoteli* ἀναγκαῖον.

Contingens est, quod contingit se aliter habere.

Necessario verum est, quod semper verum est, *vt homo est animal. Socrates est homo.* Istud affirmatum dicitur ab Aristotele κατὰ παντὸς, *id est, de omni vel omnino verum. Coruus est niger, olor est albus.*

Necessario falsum est, quod semper falsum est, *vt Socrates est leo, homo non est animal.* Dicitur etiam impossibile, *quia nunquam verum esse potest, Græce* κατὰ μηδενὸς.

Contingenter falsum est, quod sic falsum est, vt aliquando possit esse verum, *vt audentes fortuna iuuat, Cras pluet, Græce* ἐνδεχόμενον.

Aristotelici plerunq; definiunt veram propositionem, quæ cum re consentit. Intellige, vt consentaneum argumentum consentit cum re quam arguit, vt nix est alba; sic verum enuntiatũ consentit cum re quam pronuntiat. In subdiuisione veri in necessariũ & contingens, Ramus offendit in legem reciprocationis, cum verũ duntaxat diuisit in necessarium & contingens. Affectio enim ne-

cessitatis contingenti etiam falso conuenit.

OBIECTIO.

Sed obiiciat aliquis, video axioma, *verũ contingens & falsum contingens, esse vnum & idem, cum exempla vero vbiq; sint eadem, itaq; distinctionem esse nullam.* Respondeo, *Enunciatum verum & falsum, contingens subiecto quidem vnum sunt, sed non respectu eodem, quia χρόνῳ, id est, tempore differunt. Hodie enim audentem fortuna iuuat, sed cras iuuabit fortasse, hodie non iuuit.* Definitio necessario veri Philippica aliquid dicit non omnia. Hæc enim necessaria, *homo non est asinus*, & tamen in ea de specie, neq; genus, neq; differentia, neq; proprium, neq; tota definitio prædicatur. Conuenit igitur Philippica tantum affirmato axiomati. Intellige autẽ in necessario vero non tantũ coniungi consentanea, quę nullo modo a se disiungi possunt, sed etiam disiungi dissentanea, quæ nulla ratione coniungi possunt. Idem iudicium esto de impossibili. Apud Philippum etiam conuenit tantum affirmato, cum nimirum iungantur dissentanea. Sed ista etiam impossibilis est, *homo non est animal*, & tamen iunguntur pugnantia aut species disparatæ. Intellige igitur in impossibili connecti ea, quæ naturæ ratio connecti non patitur; aut ea disiungi, quæ nulla vi natura disiungi permittit. Postremo noua hic lis Ramo mouetur a Scribonio in triumpho suo, vbi cõtra, & Aristotelis, & Philippi, & Rami, imo omniũ logicorũ sententiã disputat, has propositiones, *Paris rapuit Helenã: Dauid percussit Vriam*, non esse contingentes,

gentes, ſed neceſſarias, hoc argumento quod præterita mutari non poſſint. Sed propoſitio illa, *Paris rapuit Helenam*, eſt præterita. E. non poteſt mutari. Hic ne diſcentes errore implicentur, ſciant neceſſarium *eſſe tale abſolute*: vel ex ὑποθέσεως. Neceſſarium abſolute eſt ſimpliciter: & ſua natura immutabile, *vt Deus eſt iuſtus. Triangulum habet tres angulos. Bis quatuor ſunt octo.* Ad hunc gradum pertinent propoſitiones de eſſentia & proprietatibus Dei, *vt Ebr. 6. Fieri non poteſt vt mentiatur Deus. & 2. Tim. 2. Deus negare ſeipſum non poteſt.* Neceſſarium hypotheticum eſt, quando oppoſito aliquo, aliud non poteſt non conſequi, *vt vel Socrates vel Cleon veniet, quia ita ſcilicet pactum eſt alterutrum venturum.*

DIVISIO.

Neceſſarium conditionale eſt, neceſſitate Cõſecutionis, *vt Deus reſuſcitabit mortuos, eosq; iudicabit. Æneas vicit Turnum* vel Contradictionis, *vt tu iam ſcribis.* Nam decretum Dei motum eſt neceſſario verum, & facta præterita immutabilia ſunt, & quidlibet quod eſt, quando eſt, neceſſario eſt. Sed neceſſitas ex hypotheſi non pugnat cum contingentia, & neminem cogit. Reuera igitur & per ſe contingentes iſtæ ſunt; *Iulius vicit Pompeium. Æneas vicit Turnum, tu iam ſcribis. Contingit enim te ſcribere, & contingit Æneam viciſſe.* Ac conſideratur hic, quid neceſſario inſit ſubiecto, quid mutabiliter, & cuiuſmodi ſit rerum con-

iunctio ſeu nexus, aut diſiunctio. Quare etſi poſtquam ita acciderint, mutari non poſſint, & ſint manifeſte vera, tamen euentus habet aliã cauſam, quæ poterat ex natura ſua aliter agere. Sic *hæc, Paris rapuit Helenam* non quodammodo neceſſaria eſt, & tamẽ contingẽs, quia aliter fieri potuiſſet, cauſa euentum gubernans aliter eſſe potuit, & conſtat ex iis, quæ coniungi & diſiungi abſq; vllo incommodo poſſunt. *Virgo hæc eſt Dea* neceſſitate ex ὑποθέσει, quod ponatur eſſe Dea vel homo, non autem homo ſit. Interim & ipſa cõtingens eſt extra illam ὑπόθεσιν, quia potuiſſet eſſe ſpectrum diabolicum.

Aut enim eſt propoſitio neceſſaria propter decretum, aut propter cauſas in actu poſitas, quæ non mutantur, cum tamen mutari potuiſſent, *vt neceſſe eſt hæreſes eſſe, quia in multis ingeniis magna eſt petulantia, quæ tamen frænare petulantiam poſſunt*, aut neceſſaria eſt, quia contradictoria falſa eſt.

OBIECTIO.

At dixeris, *non abſurdum eſt, idem & neceſſarium eſſe & contingens.* Reſpondeo, Non eſt abſurdum diuerſarum cauſarum reſpectu, vt diuinæ & ſecundarum, *Iacobi filij Ioſephum fratrem vendiderunt neceſſitate ex ὑποθέσει, id eſt, reſpectu decreti diuini moti, & contingenter reſpectu cauſæ ſecundæ contingenter agentis, id eſt, voluntatis in manu, vnde potuerunt non vendere, cum natura apti eſſent ad contrarium agendum, & venundatum redimere potuiſſent. Chriſtus mortuus eſt contingenter, ſi naturam eius ſpectes, quia fuit prædi tus*

morta-

mortali corpore, Necessario vero; si ad patris ordinationem immutabilem cõscendas. Lapsus est Adam contingẽter, quia aliter ex sua natura potuisset agere; Necessario, quia quæ noscit Deus & prouidet futura, ea necessario eueniunt. Vestis mea dilacerata est contingenter ratione materiæ, vestis enim scindi potuit aut non scindi. Quod si illa vera ponatur conditionali necessitate, necessaria est. Quia quod est, quando est, necesse est esse, ne fiat implicatio contradictionis. Sic hæc; *Quidam homines sunt docti, etsi hypothetica necessitate necessaria sit, tamen contingens est, cum non sit necessaria partium connectio.* Quid multa? Quando res causa est præteriti, vel præsentis temporis, tum necesse est ipsam esse. Ex hac autem hypothetica necessitate, non potest absoluta inferri necessitas & contingentia negari, cum id, quod causa temporis est, potuerit etiam non esse. Nec vero sequitur illatio Scribonij, *David percussit Goliath.* Hæc certe manifeste quoq; vera est. E. *est necessaria reipsa.* Consequentia enim & contradictio tantam habent vim, vt iis non tantum necessarium, sed etiam contingens, hoc est, quod inconstans & immutabile est per se, persuadeatur dubitãtibus. Neque mouet nos ista obiectio, *contingens est quod ita verum est, vt aliquando possit esse falsum.* At vero hæc, *David percussit Goliath, nunquam potest esse falsa. E. non est contingens.* Respondeo, ad propositionem, particulam *aliquando* esse indefiniti temporis & significare præsens, præteritum & futurum, vt intelligas contingens

esse etiam, quod ita verum est, vt aliquando potuerit esse falsum. Alioquin enim non satis distingui posset a necessario κατὰ παντὸς. Sed vera sententiæ colligamus argumenta. 1. Si hæc, *Dauid percussit Goliath*, non est contingens, erit omnino necessaria. At non hoc. Nam κατὰ παντὸς Aristotelis non est, quod aliquando inest, aliquando vero non. E. nec illud. Vt igitur ad huius (*Socrates est homo*) necessitatem summam non tantum requiritur, vt hodie & cras sit homo, sed & heri homo fuerit; sic ad huius, *Dauid percussit Goliath*, necessitatem absolutam requiritur non tantum, quod hodie vel cras verum sit, sed etiam antequam res fieret, necessitatis causam haberet. Breuiter necessarium absolutum est omnium temporum, præsentis, præteriti & futuri. 2. Res diiudicantur tales, vel tales natura sua. Atq; hæc, *Dauid stuprauit Bethsebam*, *Æneas vicit Turnum* est natura sua contingens. E. recte dicitur. 3. Verum & falsum accidunt enuntiationi propter res, quales enim res, talis tribuitur ei veritas, seu orationes veræ sunt vt res & propter res; sed res hæc contingens, seu habet se contingenter. E. & prædicatio ipsa est contingens. 4. Quales sunt antecedentes causæ, talis est veritas. Euentus causa autem istic fuit libera & contingens. E. & veritas euentus talis. Deniq; cum inter antecedens & consequens est nexus essentialis, dicitur propositio necessaria. E. cum accidentaria fortuita, & mutabilis est coniunctio, dicitur contingens. Hic autem (*Æneas vicit Turnum*)

nexum

nexum accidentarium quis non videt? Vincere enim & non vicisse extra substantiã sunt Æneæ.

Ex his omnibus apparet, contingentiam esse præsentium, præteritorum & futurorum, & necessarium conditionale contingenti non necessario repugnat. Concludo igitur totam disputationem, ac contingens enuntiatum definio aut declaro sic. *Contingens est, cuius veritas non est omnium temporum, cum contingens res sua natura possit esse vel non esse*, hoc aut alio modo haberi, in vtram vis partem fieri, & priusquam fiat impediri. *Dauid cum Bethseba commisit adulterium*, hoc sua natura, origine, & causa non est necessarium, sed reuera contingens & mutabile, id est, aliter haberi poterat. Nam fieri oppositum, antequam euenit, impossibile non fuisset. Verum quod sic euenit non mutatur. Ideoq; necessaria dicitur necessitate conditionali, seu consequenti.

Cæterum meminerint etiam discẽtes, Aristoteleos Triplex facere Contingens.

1. Ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, seu κατὰ παντὸς, id est, vt plurimũ contingens, quo res dicuntur plurimum euenire, *vt manuum agilior est dextra*.

2. Ὑποτερώτερον, seu contingens ex æquo, quo res dicuntur euenire, non vt plurimum, nec raro, sed pro re nata, *vt diuites sunt auari*.

3. Rarum, quo res raro eueniunt, *vt fodiens agrum inuenit thesaurum.*

Atq; hoc est Κατὰ φύσιν, *vt cum causas habet per se, vt sunt raræ coniunctiones corporum cœlestium.* vel Παρὰ φύσιν cum sit extraordinarium, *vt monstrosi partuum conceptus.*

OBIECTIO.

Obiectio hic talis esse potest; *Pax non est bellum, propositio* κατὰ παντὸς est, *quia bellum de pace omni semper negatur. Itaq;* κατὰ παντὸς *non est astringendum ad affirmantia.* Respondeo, Necessaria affirmantia ab Aristotele dici κατὰ παντὸς κατ' ἐξοχὴν honorario nomine, quia affirmantia cum doceantur, & ars debet constare ex enuntiatis affirmatis, præstant ergo negantibus, quæ dedecent.

DE AXIOMATE HOMOGENEO & heterogeneo. CAP. V.

Porro axioma est Homogeneum, vel Heterogeneum. *Philippus vocat essentialem prædicationem, itemq; causam. Aristoteles* καθ' αὑτό.

Homogeneum est, cum partes inter se sunt essentiales.

Estq; tale Absolute, vel Quodammodo. *Aristoteles vocat* καθ' αὑτό.

Heterogeneum contra, cum partes nõ sunt essentiales, vt cum opposita de oppositis negantur, *vt coruus non est albus,*

bus, aper non est ceruus, peccatum non est substantia.

Corpora homogenea sunt, quādo partes habent eandē naturā & appellationē cum toto, *vt qualibet pars aqua est aqua, qualibet pars aeris est aer.* Heterogenea sunt, in quibus partes non retinent appellationem totius, *vt corpora animalium sunt heterogenea, id est, sunt ex maxima partium varietate conflata.*

Absolute, vt cum genus de sua specie, forma de suo formato, adiunctum de proprio subiecto dicitur, *vt homo est animal, homo est rationalis, homo aptus est ad loquendum.* In his consequens ita antecedenti inest, vt ad eius essentiam pertineat, neq; ab eo remoueri sine incommodo eius substantiæ posſit. Summatim si definitio de definito, vel pars aliqua definitionis prædicatur, axioma est καθ' αὑτό. *Quodammodo*, vt cum adiunctum inseparabile commune attribuitur, *Æthiops est niger, coruus est niger, cygnus est albus. Ebrietas est pernitiosa corpori.* Quærat aliquis, cur non vocas hasce homogeneas absolute. Respondeo, *quia nigredo non constituit naturam subiecti sui, vt Æthiopis.* Ad has igitur differentias scilicet homogeneas absolute, & determinate seu quodammodo referendi sunt, 4 modi dicēdi per se, quos constituit Aristoteles *in analyt. poster. de quibus vide Dial. Philip. lib. 3. & Ramum in scholis vbi explicat* κατὰ παντός, καθ' αὑτό & καθ' ὅλου πρῶτον.

DE AXIOMATE RECIPROco & non reciproco. CAP. VI.

Deniq; axioma est vel Reciprocum, vel non Reciprocum.

Axioma reciprocum est, cuius partes inter se conuertuntur, seu cuius partes retro vicissim commeãt. *Aristoteles vocat κατ' ἀλλήλους, vt ensis est gladius, & gladius est ensis. Homo est animal rationale, & quoddam quod est rationale, est animal. Leo non est lupus, & lupus non est leo. Quædam creatura est spiritus, & quidam spiritus est creatura. Christus est vbiq;, & quoddam quod est vbiq;, est Christus. Sceckio quem hic sequor etiam hæc reciproca est, Christus est vbiq;. Aliquid enim quod est vbiq;, Christus est, nec dissentit simul Simon Simonius multo ante Scecķiũ, vbi pag. 145. ait, Prædicatio quæ est inter genus & speciem, reciproca censeri potest, vt homo est animal, conuersa est, quoddam animal est homo: Indirectum enim prædicatum animal, non accipitur vniuersaliter, sed particulariter, homo est animal scilicet quoddam.*

Reciproco subiicitur καθ' ὅλου πρῶτον, quod reciprocũ dicitur κατ' ἐξοχήν.

Axioma καθ' ὅλου πρῶτον, seu vniuersaliter primum est, quod de omni dicitur primo ita, vt nulli insit prius. *Itaq; hic termini sunt æquales, seu pares inter se, & concurrunt omnes necessitatis gradus inter se, vt Deus est æternus & infinitus. καθ' ὅλου πρῶτον est, æternitas enim inest Deo, κατὰ παντὸς, qui omni personæ & semper: per se καθ' αὑτό, quia essentialiter & definitiue.*

Vni-

Vniuersaliter primo: quia Deus primum est æternitatis & infinitatis subiectũ. Item, habere tres angulos duobus rectis æquales, dicitur de duabus rectis ad idem tertiæ punctum consistentibus. Primum (vt sit linea αβ ad cuius punctum δ consistant duæ rectæ εδ & ζδ de triangulo posterius, de vnaquaq; specie trianguli postremũ. Itaq; hoc enũtiatũ, triangulus habet tres angulos duobus rectis pares, est quidẽ κατὰ παντὸς, sed nõ καθ᾽ ὅλου πρῶτον, quia consequens non dicitur primum de isto antecedente, sed de alio, videlicet duabus rectis ad idem punctum tertiæ lineæ consistentibus. Quare καθ᾽ ὅλου πρῶτον est hæc, duæ rectæ ad idem tertiæ punctum consistentes habent tres angulos duobus rectis pares. Item homo est rationis particeps, propositio est καθ᾽ ὅλου πρῶτον. Nã rationis participem esse, omni homini per se & primum conuenit. Cato est rationis particeps, non est καθ᾽ ὅλου πρῶτον. Nam rationis participem esse omni homini per se & primum conuenit. Est enim rationis particeps, non quia Cato, sed quia homo. Itaq; rationis participem esse conuenit Catoni secundo loco, id est, per hominem. Animal sentit καθ᾽ ὅλου πρῶτον est. Animal enim facultatis sentiendi primum subiectum est. Homo sentit non est καθ᾽ ὅλου πρῶτον, quia de homine non dicitur primo sentire, homo enim sentit, non quatenus homo est, sed quatenus est animal.

Reciprocum] *Intellige hic generalia generaliter, specialia specialiter conuerti, vt omnis homo est capax disciplinæ. Quicquid non est capax disciplinæ non est homo. Quædam bilis est flaua, & quiddam quod flauum est, bilis est.*

Καθ' ὅλου πρῶτον] *Ab Aristotelicis sæpe etiam dicitur immediatũ, Græce ἄμεσον. Sed obseruandum est, non omne immediatũ axioma esse καθ' ὅλου πρῶτον. Quod vt intelligatur, proponere placet Aristoteleam diuisionem propositionis in mediatã & immediatam. Immediata propositio respectu causæ est, inter cuius terminos non interiacet alius, qui vel huic vel illi coniunctus propositionem priorem constituere queat. Aristoteles vocat indemonstrabilem, vt homo est rationis capax. Cur enim homo sit capax rationis, nulla causa potest afferri. Quemadmodum etiam, cur sit homo, sed huius, homo est docilis, causa reddi potest, docilis enim est, quia est rationis capax: seu homo est docilis, quia quod rationis capax est, docile est.* Immediata, *ratione subiecti est, inter cuius extrema nullum subiectum interiacet, quod prius prædicato subiici queat, vt homo est docilis. Quamuis enim hominem esse docilem habeat causam videlicet rationem & mentem, a qua proficiscitur, tamen nullum subiectum reperiri potest, quod prius docilitatem recipiat, quam homo.* Mediata, *est vbi remotius consequens tribuitur antecedenti, vt Plato est animal. Plato inquam est animal per medium homo. Meminerunt Aristotelici & hic propositionis reduplicatiuæ, de qua quia acriter in Sceckium & Simonium disputatum est, etiam adolescentes monebimus, vt id obseruent. Interpretes Aristotelis hic multa commentantur de propositione determinata, cui subiicitur propositio reduplicatiua, eius notæ sunt, qua, quatenus, quia, in quantum, vt Christus qua homo, est passus. Homo qua homo, doctrinæ capax est, id est, docili-*

docilitas homini, qua homo, inest. Homo dormit, quia animal. Animal, quia animal vigilat aut dormit. Homo caducus, quatenus est compositus ex materia, hic proprium subiectum denotatur.

DE AXIOMATE SIMPLICI & composito. CAP. VII.

Propositio Simplex, vulgo categorica est: vel Composita, vulgo hypothetica.

Simplex est, qua vnica sententia enuntiatur, verbiq; vinculo continetur, Græce dicitur ἁπλῆ.

Partes eius peculiaribus nominibus nominari solent Subiectum, & Prædicatum.

Subiectum est, de quo aliquid dicitur.

Prædicatum, quod de aliquo dicit.

Hypothetica] *vitiose vocatur hypothetica. Nam etsi hæc vox conditionali seu connexæ & disiunctæ conueniat, copulatæ tamen non conuenit, hic enim nulla est ὑπόθεσις, nulla conditio.*

Aristotelici simplicem diuidunt in puram, & modificatam. Puram vocant, quæ absolute enuntiat sine modo, *vt homo peccat.* Modificatam vocant, cum modus veritatis vel falsitatis exprimitur, *vt homo peccat cõtingenter, hominem esse bestiam impossibile est.* Modificata enuntiat quo modo aliquid sit verũ vel falsum. Modum

definiunt expreſſionem materiæ propoſitionis, & faciunt quatuor modos. Contingens ſeu fortuitum, poſſibile, neceſſarium, impoſſibile.

DE AXIOMATE VNIVERſali & ſpeciali. CAP. VIII.

Propoſitio ſimplex aut eſt Vniuerſalis, aut Specialis.

Vniuerſalis eſt, cum commune conſequens prædicatur generaliter de communi antecedente.

REGVLA CONTRAdictionis.

Generalium contradicentium non ſemper altera eſt falſa, altera vera, ſed cum contingentium, tum non contingentium, vtraq; pars falſa eſſe poteſt, *vt omne animal eſt rationale, Nullum animal eſt rationale. Omnia poma ſunt flaua, & nulla poma ſunt flaua.*

(:Ariſtotelici diuidunt in vniuerſalem, particularem, indefinitam & ſingularem, aut enim vniuerſe de omnibus, vel nullis, aut ex parte de quibuſdam, vel vno enuntiatur. Sed nos particularem & ſingularem vt ſpecies, ſub ſpeciali comprehendimus; at indefinitã vniuerſali ſubiicimus. Vocant autem indefinitam, cum ſubiecto non additum eſt ſignum vniuerſale, vel particulare, *vt Dialectica eſt ars*, hæc reuera eſt vniuerſalis. Sæpe tamẽ tropice indefinita æquipollet particulari; *Aulici ſunt impij.* Ariſtoteles vocat ἀδιόριστον.)

Gene-

Generalium contradicentium]Scribonius hic nodum in ſcirpo quærit,cum ait,plane ſe ignorare,an recte hoc doceatur a P. Ramo. Sed dubitationi hic prorſus nullus relictus eſt locus, quod enim huius cõtradictionis generalis nullum vſum eſſe aſſerit, in eo fallitur. Ait vſus diſſerendi,aliam contradicendi rationem in generalibus enuntiationibus non admittit, quam hanc ſpecialem, *Omne animal eſt rationale, non omne animal eſt rationale.* Verum philoſophorum diſputationes manifeſte eum refutant.Inquiunt philoſophi phyſici; *Omnia corpora ſublunaria conſtant ex quatuor elementis*, Cardanus, *Nulla corpora ſublunaria conſtant ex elementis quatuor.* Veteres philoſophi aiunt, *Omne ſydus eſt animatum*, recentiores contradicũt generaliter, *nullum ſydus eſt animatum.* Epicurus ait, *Omnium hominum anima eſt mortalis.* Chriſtianus vero contradicit, *nullius hominis anima eſt mortalis.* Præter hunc in diſſerendo vſum generalis contradictionis contra Scribonium vtor 2. argumentis. Contradictio eſt eiuſdem rei alicuius ſubiectæ affirmatio pariter & negatio, cum tu dicis, *omnia poma ſunt flaua.* ego vero contra, *Nullum ex his pomum eſt flauum*, hic eiuſdem rei ſubiectæ, vt pomorum iſtorum,affirmatio eſt pariter & negatio. E. hic eſt contradictio. 2. Si generalis contradictio nulla eſt, nulla hæc erit quoq; , *Virtus eſt finis hominis, Virtus non eſt finis hominis*, Indefinitæ enim hæ ſunt æquipollentes vniuerſali.Iam vero reuera hæc contradictio eſt, *Virtus eſt finis*

hominis, & virtus non est finis hominis, eaq; non est specialis vt sensus sit, *Omnis virtus est finis hominis, Non omnis virtus est finis hominis, nulla virtus est finis hominis*. E. generalis contradictio non est repudianda. 2. Breuius sic. *Iustitia est virtus, est generalis affirmatiua*, huius contradictio *iustitia non est virtus, est generalis negatiua*. E. affirmanti generali contradici potest per negationem generalem.

Specialis est, cum prædicatum de quodam subiecto dicitur.

REGVLA IVDICII.

Specialium contradicentium semper altera pars vera altera falsa, *vt Petrus est homo & Petrus non est homo.*

Specialis est Particularis, vel Singularis.

Particularis est, cum commune prędicatum de subiecto dicitur particulariter, *vt quidam homines sunt docti, aliquid est ignoscendum. Huic contradicitur, nihil est ignoscendum.*

Propria enuntiatio est, cum prædicatum de subiecto singulari dicitur, *vt Cicero est orator, huic simplici contradictioni contradicitur, Cicero non est Orator.*

Disputatur hic a quibusdam, an contradictio sit λογικὴ, cum vniuersali affirmatæ contradicitur particulariter affirmatiue, *vt omnia cerasa*

sunt

ſunt dulcia, quædam cераſa ſunt dulcia. Reſpondeo, Non eſt contradictio, niſi per concomitantiam quandam, hæc enim eſt contradictio, *Omnia ceraſa ſunt dulcia, Non omnia ceraſa ſunt dulcia, ſeu quædam non ſunt dulcia.* Iam ſi quædam nõ ſunt dulcia, ſequitur hoc quædam tantum eſſe dulcia. Argumentum contra eiuſmodi, &c. Axiomatum contradictio eſt, quando idem axioma affirmatur & negatur. Cum dico, *omnia ceraſa ſunt dulcia, quædam ceraſa ſunt dulcia*, vtrumq; axioma affirmo, non igitur eſt contradictio. Præterea ſi illatio ſeu concluſio ſpectetur, non pugnant, & eatenus dicuntur ſubalternæ, *vt omnis homo mendax.* E. etiam quidã. Ad extremum quidam ex Ariſtotelicis docent ſubcontrariam oppoſitionem ita, vt aſſerant vtramq; enuntiationem eſſe veram, *vt quidam homines ſunt pij, quidam non ſunt pij.* Non intelligitur vtrobiq; idem ſubiectũ; affirmata enim de aliis hominibus, negata de aliis loquitur. E. hic non eſt contradictio. Tum vero demum contradictio erit, ſi dicantur quidam homines eſſe pij, & illi ipſi quidam non eſſe pij.

DE AXIOMATE COMPOSITO. CAP. IX.

Compoſita propoſitio eſt, qua ſententia multiplex vinculo coniunctionis enuntiatur. *Vinculo enim coniunctionis affirmato & negato affirmatur & negatur, vt & genus & formam regina pecunia donat*, Contra-

dictio, *Non & genus & formam regina pecunia donat.*

(:Supra dixi, hypotheticam non recte dici, quia ex lege καθ' ὅλου πρῶτον generalia etiam generalibus vocibus ſunt explicanda:)

Coniunctionis vinculo] Per coniunctionem non intellige tantum Grammaticam, ſed etiam ei æquipollentem, *talis qualis: tanto quanto: tot quot: tam quam*; *vt ſi.* Si ita quiſpiam obiiciat, *hanc eſſe compoſitam, vbi cadauer, ibi aquilæ, nec tamen hic vllam eſſe coniunctionem.* Reſpondeo, hic notas relationis facere coniunctionem.

Compoſita eſt quadruplex, Copulatiua, Conditionalis: Diſcreta & Diſiunctiua.

Copulata eſt, cuius coniunctio eſt, copulatiua, *vt cœlum & terra peribunt.*

REGVLA.

Veritas copulatæ pendet ex omnium partium veritate. Falſitas autem ex vna parte falſa, *vt Chriſtus & mortuus eſt, & reuixit. Deus cum mundo eſt æternus.* Hæc falſa. Huic generi cognata eſt enuntiatio relatiua, loci, quantitatis & qualitatis. Loci, *vt vbi dolor, ibi manus.* Quantitatis, *vt tam vitium fugiendum, quam virtus expetenda.* Qualitatis, *vt qualis eſt præceptor, talis eſt diſcipulus.*

DE AXIOMATE CONNEXO, ſeu conditionali. CAP. X.

Propoſitio connexa, ſeu conditionalis eſt, cuius

cuius coniunctio est connexiua, seu conditionalis, *vt si natura negat, facit indignatio versum*, cuius contradictio, *Non si natura negat, facit indignatio versum.*

REGVLA.

Necessaria conditionalis censetur ex necessaria partium connexione, non semper ex necessaria partium veritate, *vt si anima est corpus, certe mortalis est.* Hæc propositio est necessario vera. Nam etsi partes seorsum sumtæ falsæ sunt, *vt anima hominis est corpus, anima hominis est mortalis*, tamen partium connexio est necessaria. Contingens vero censetur, cum probabilis seu non necessaria partium est connexio, *vt nisi veniat hæc virgo mihi vxor; me interficiam.* Propositioni connexæ affinis est relatiua temporis, qua refertur tempus, *vt Carmina tum melius, cum venerit ipse canemus. Cum Aristoteles sit logicus, est etiam bene disserendi peritus.*

Non semper ex partium veritate] Obiiciat aliquis contra; *Integrum sequitur naturam suarum partium; huius enuntiati, si homo est leo, est etiam quadrupes, partes sunt falsæ. E. etiam integrum falsum est.* Respondeo, ad assumtionem. *Partes sunt falsæ scilicet separatæ, & simpliciter enuntiatæ, at coniunctæ veræ sunt propter conditionem, & sic integrum verum est ex ὑποθέσεως conditione.*

Connexæ] Huc refer propositiones eas, quæ sapiunt Græcismum vt Cic. lib. de diuin. *Non sunt dij & non significant, id est, non est consentaneum, cum sit Deus, non eum futura significare, seu cum sit Deus, certe significat futura.* Pro Mi-

lone. *Non corpusculum hoc mente regitur, & non regitur mente vniuersum mundi corpus, id est, cum corpus humanum regatur mente, non est verisimile, non regi mente quadam vniuersum mundum, seu si hoc fragile corpus regitur mente aliqua, multo magis mundus vniuersus.*

DE AXIOMATE DISCRETO. CAP. XI.

Propositio discreta est, cuius coniunctio est discretiua. Enuntiantur autem sic diuersa, vt Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses. Quanquam abest a culpa, tamē suspicione non caret.

REGVLA IVDICII.

Ad veritatem discretæ non tantum requiritur, vt omnes partes sint veræ, sed etiam vt sint discretæ. Ridiculum enim est consentanea segregare. *Quanquam Plato est homo, tamen non est animal rationale.*

DE AXIOMATE DISIVNCTO. CAP. XII.

Enuntiatio disiuncta est, cuius coniunctio est disiunctiua, *vt aut ducas aut dotes, scilicet si non promisisti coniugium compressæ.*

REGVLA IVDICII.

Ad veritatem disiunctiuæ requiritur, vt vna tantum pars sit vera, *vt terra est mobilis aut immobilis.* Falsa enim disiuncta est, cuius vtraque pars est, vel vera vel falsa, *vt Ioannes aut homo est,*

est, aut animal. Hic vtraq; pars vera, sed illegitima est enunciatio, cum ridiculum sit disiungere, quæ natura coniunxit. *Andromache aut est alba, aut nigra,* hic neutrum, nam fusca est.

Necessitas disiunctę pendet e necessaria partium oppositione & disiunctione, non semper ex earũ necessaria veritate oritur, *vt hodie ninget, vel non ninget,* hic necessario quidẽ disiungitur, cum nullum sit medium, sed neutrum tamen per se & separatum est necessarium. *Sic homo est bonus vel malus, absolute quidem vera.*

Disiunctiua contra cõtingenter vera est, seu opinabilis, cum disiunctio partium non est necessaria, sed mutabilis & inconstans, *vt aut bibendum aut abeundum.*

APPENDIX.

Aristotelici propositionum simplicium tria faciunt accidentia, *oppositionem,* de qua diximus, *conuersionem* & *æquipollentiam.* Doctrina conuersionis logica videri potest, sed quæ de æquipollentiis signorum dicuntur, ad lexica pertinent, vt quod idem valet; *Non omnis homo mendax, & quidam homo mendax, nonnulli & aliqui. Nemo non & omnis.* Conuersionis modos tres faciunt, simplicem, per accidens & contrapositionẽ. Simplex est, in qua manet eadem qualitas & quantitas extremorum. Semper fit in vniuersali negante & speciali affirmante, vt directa enuntiatio est, *nulla creatura est æterna,* huius conuersa est, *nihil quod æternum est, est creatura.* Fit & in vniuersali affirmata, cum termini sunt pares, id est, æque late patent, *vt omnis ho-*

mo loqui potest & quicquid loqui potest, est homo. Conuersio per accidens est, in qua manet eadẽ partium qualitas, & mutatur quãtitas sic dicta, quia noua quantitas accidit propositioni. Fit in vniuersali affirmata, *vt omnis homo est bipes, aliquid quod bipes est, est homo. Omnes ingeniosi sunt melancholici. E. quidam qui sunt melancholici sunt ingeniosi.* Conuersio κατ' ἀντίθεσιν est, in qua vtriusq; partis qualitas mutatur, hoc est, vtriq; parti additur particula non. Fit in vniuersali affirmata, *vt omne corpus est in loco quantum & finitum: & quicquid non est in loco nec est quantũ, & finitum, corpus esse non potest. Iustus ex fide sua viuit, & qui non ex fide sua viuit, non est iustus. Solus Deus est omnipotens & æternus. Quicquid non est omnipotens & æternum, non est Deus.* Nam propositiones exclusiuæ ad vniuersales referuntur.

Hactenus de simplici compositione, dispositio composita sequitur, syllogismi scilicet seu ratiocinationis & methodi seu ordinis.

DE SYLLOGISMO.

Cap. XIII.

Syllogismus est dispositio quæstionis cum argumento, talis, vt necesse sit sequi inde conclusionem. *Eodem sensu dicitur* argumentatio, *quanquam alij argumentationem genus syllogismi faciant.*

Partes syllogismi sunt Antecedens & Consequens.

Ante-

Antecedens eſt, quæ adhibetur ad arguendam quæſtionem, ſeu concluſionis cauſa eſt.

Antecedentis partes ſunt duæ, Propoſitio & Aſſumtio. *Dicuntur alias ſumtiones & præmiſſæ.*

Propoſitio eſt, prima antecedentis pars, quæ, quæſtionis conſequens, cum argumento diſponitur.

Aſſumtio eſt ſecunda antecedentis pars, quæ ex propoſitione aſſumitur. *In ea autem argumentum repetitur.*

Conſequens eſt, quæ complectitur partes quæſtionis, eamq; concludit, eſtq; effectum antecedentis.

Συλλογισμὸς *deducitur a* συλλογίζεσθαι *quod ſonat conrationari.* Συλλογισμὸς *igitur eſt collectio pluriũ ad ratiocinandum. Habet igitur ſyllogiſmus nomen a ratione qua colligitur; Quo circa genus quod Ariſtotelici adhibent non eſt proprium; Syllogiſmus, inquiunt eſt oratio, ſed ſæpe conficitur ſine oratione commentatione mentis.*

Neceſſe] Tanta enim vis eſt naturalis collocationis, vt etiam neceſſaria ſit, quamuis rebus interdum falſis. Hinc recte dicitur, *ex falſis præmiſſis ſæpe ſequitur verum*, ſeu, *ſumtionibus veris poſitis ſeu conceſſis, quamuis per ſe quidem falſis, vera concluſio ſequitur neceſſitate conſequutionis.* Nam in definitione propoſita neceſſitas con-

sequentiæ seu formæ, nō necessitas consequentis seu materiæ intelligenda est. Necessitas consequentis seu dispositionis, dicitur in scholis Aristotelicis, cum aliud ex alio necessario sequitur propter materiam & res ipsas. Consequentia autem necessitas est, cum propter formam & illegitimam rerum dispositionem aliud ex alio sequitur, *vt omnis cerasus est homo, Joannes est cerasus. E. Ioannes est homo.*

Genus syllogismi faciunt] Vulgo argumentationi tanquam species subiiciūtur syllogismus. Enthymema, Inductio, exemplum & Sorites. Sed non sunt hæ reueræ oppositæ species. *Sunt enim Enthymema, Sorites, & cæteri syllogismi ceu argumentationis affectiones, vt hyperbole, allegoria, catachresis sunt affectiones troporum.* Enthymema syllogismus est imperfectus, & ita syllogismus potentia seu contractus. Exemplum est Enthymema, cuius argumētum sumitur ab exemplo. Inductio est Enthymema, cuius argumentum sumitur e comparatis, vel partibus collectis. Sorites nihil aliud est quam Enthymematica progressio, seu conglobatio syllogistica, vbi argumentum sumitur ex summarum, & mediarum rerum necessitudine, præsertim causarum & effectuum, generis & speciei. Res autem plures eiusdem generis non mutant genus.

Antecedentis partes sunt duæ] Vulgo docetur antecedentis partes esse propositionē maiorem & minorem, & tamen propositio maior vulgo ita definitur, vt tantum syllogismo simplici

plici conueniat. Idē iudica de propositione minore. Quare appellationes propositionis maioris & minoris partibus syllogismi compositi non conueniunt. Inquiunt, propositio maior est, quæ continet terminum maiorem, id est, quæstionis prædicatum cum argumento. Verum in syllogismo composito seu hypothetico propositio & maiorem & minorem terminum, id est, quæstionis & subiectum & prædicatum continet. Propositio, *inquiunt*, minor est, quæ continet cum argumento terminum minorem, id est, subiectum. Verum si compositus sit syllogismus, assumtio tamen argumentum continet, *vt si homo est, animal est, Atqui homo est. E. animal est.*

Quæ assumitur ex propositione] Scilicet omnino, vt in syllogismo composito, vel ex parte, vt in simplici syllogismo. In hoc enim tantum medius terminus e propositione assumitur.

Consequens complectitur] Quidam disputant conclusionem non esse partem syllogismi hoc argumento. *Effectum non est pars rei. Conclusio est effectum syllogismi. E. Conclusio non est pars syllogismi.* Respondeo, Neganda est assumtio. Nam conclusio effectum est tantum præmissarum, non syllogismi. Syllogismus totum est integrum, eius membrum posterius est conclusio.

Accidunt syllogismo tria. 1. Ἔλλειψις defectus, tunc dicitur Enthymema. 2. Redundantia & coaceruatio, tunc

dicitur προσυλλογισμός. 3. Sorites, ordinis inuersio, tum dicitur inuersus seu partibus traiectus.

Enthymema syllogismus est mutilatus, cui aliqua pars deest. *Præmissarum quæpiam omittitur, vel quia per se manifesta est, vel quia infirma.*

Prosyllogismus est, probatio addita syllogismi partibus. *Nam syllogismi partes interdum approbantur, confirmantur & amplificantur.*

Sorites est nihil aliud, quam syllogismi complures Enthymematici, in vnum quasi aceruum congesti, ita vt semper consequens præmissæ præcedentis, sit antecedens consequentis. Vnde cõclusio infertur, in qua consequens vltimæ præmissæ attribuitur antecedenti primæ præmissæ, *vt qui præsciti sunt, sunt & prædestinati, qui prædestinati sunt, sunt etiam vocati, qui sunt vocati & iustificati sunt, qui sunt iustificati, sunt etiam glorificati. E. qui præsciti, sunt etiam glorificati. Minimum autem Sorites constat tribus præmissis.*

Syllogismus inuersus est, cum partium ordo confunditur, *vt cum conclusio primo loco ponitur & assumtio.*

Enthymema est syllogismus mutilatus] Quidã docent, Enthymema esse, cum deest maior, vel minor

minor propoſitio. Verum illi non integre definiunt, ſæpe enim concluſio reticetur apud auctores, vt quæ propter præmiſſas ita ſit euidens, vt ea nihil opus videatur, & concluſio eſt quæſtio, quæſtio autem non ſemper repetitur. Nimis anguſte quoq; definiunt Ariſtotelici & Cic. Illi aiunt eſſe ſyllogiſmum imperfectum ex iconibus, id eſt, probabilibus & ſignis. Hic vero ait, eſſe ſyllogiſmum imperfectum ex contrariis, *vt Deus eſt verax; Igitur non eſt mendax.* Peccatur hic dupliciter, quia in deſcriptione Enthymematis non eſt facienda mentio materiæ. Deinde quia materia ſeu argumentum Enthymematis ex quolibet loco Dialectico ſumi poteſt. Cæterum in ſimplici ſyllogiſmo propoſitio deeſt, cum conſequentis & antecedentis ſubiectum eſt idem, *vt Ioannes pallet. E. ægrotat.* Aſſumtio vero omittitur, cum diuerſum eſt, *vt homo eſt animal. E. Cato eſt animal.*

Sorites] a σωρὸς aceruus. Eſt autem Sorites ſyllogiſmus numero præmiſſarũ auctus, in quo conſequens primæ præmiſſæ ſit antecedens tertię, & ſic deinceps, donec tandem in concluſione primum antecedens, id eſt, ſubiectũ coniungatur cum poſtremo conſequente, *vt omne bonum eſt laudabile. Omne laudabile eſt honeſtum. Omne honeſtum eſt pulcrum. E. omne bonum eſt pulcrum.* Quæri poteſt an hic Sorites ſit, *omne bonum eſt laudabile, omne laudabile eſt honeſtum. E. omne bonum eſt honeſtum.* Reſpondeo, Sorites non eſt, ſed ſyllogiſmus, in quo ordo partium eſt mutatus. Propoſitio enim eſt

transſpoſita in locum aſſumtionis, & naturalis ordo eſt talis. *Omne laudabile eſt honeſtum. Omne bonum eſt laudabile. E. omne bonum eſt honeſtum.*

DE SYLLOGISMO SIMPLICI & compoſito. CAP. XIIII.

Syllogiſmus eſt categoricus ſeu Simplex: vel Compoſitus ſeu hypotheticus.

Simplex eſt, qui conſtat enuntiatis ſimplicibus, quæſtione cum argumento ſimpliciter diſpoſita: vel etiam connexis loco ſimplicium poſitis, vel vim ſimplicium habentibus, *vt ſi quicquam laudabile eſt, honeſtum eſt, ſi quicquam iuſtum eſt, laudabile eſt. E. ſi quicquam iuſtum eſt, honeſtum eſt. Propoſitio æquipollet huic; Omne laudabile eſt honeſtũ. In eo, cum argumento quæſtionis conſequens diſponitur in propoſitione, antecedens in aſſumtione.*

Hic partes vocantur propoſitio Maior, propoſitio Minor, termini, e quibus fiunt, maior, minor & medius.

Maior propoſitio eſt, quæ ex maiore & medio termino conſtat.

Maior autem terminus eſt, quæſtioſtionis prædicatum, medius quæſtionis probatio.

Pro-

Propoſitio minor eſt, quæ ex minore & medio conſtat.

Minor autem terminus eſt, ſubiectum quæſtionis, *vt in ſuperiori exemplo maior terminus eſt laudabile, minor iuſtum. Medius honeſtum, quia nunquam fit membrum conclusionis.*

Lex generalis erit, medium concludere neſcit.

DE SYLLOGISMO GENERALI & ſpeciali. CAP. XV.

Porro ſyllogiſmus ſimplex eſt, Generalis vel Specialis.

Generalis eſt, cuius concluſio eſt talis.

Specialis eſt, vel Particularis, vel Proprius.

Particularis eſt, cuius concluſio eſt particularis, ſeu qui conſtat ex altera generali, altera particulari.

Particulari ſubiicio expoſitorium, qui ex ſingularibus concludit indefinitam, æquipollentem particulari, de quo infra.

Proprius eſt, cuius concluſio eſt propria, *vt Catilina fuit improbus, Catilina fuit nobilis. E. quidam nobiles ſunt impij. Ramo vero proprius. Hic appellat a cauſa, ille ab effectu.*

DE FORMIS SYLLOGISMO-rum simplicium, seu figuris & modis, vt vocant. CAP. XVI.

Figuræ syllogismorum ab Aristoteleis constituuntur tres ex triplici consideratione medij.

Medium enim disponitur, vel Diuersis locis, & fit prima figura, vel Vno loco, & fit secũda & tertia figura. Secunda quidem, cum in vtraque præmissarum est prædicatum; Tertia cum vtrobiq; est subiectum. Sed tertia ordine naturæ prima est, Secunda medium locum recte obtinet, Prima est vltima.

Iodocus Willichius præter necessitatem addit quartã figuram, cuius affert tale exemplũ,

Omnis homo est animal,
Omne animal sentit,
E. Omnis homo sentit.

Hic medius terminus, ait Willichius, est prædicatum propositionis maioris, & subiectum minoris. Itaq; quarta hæc figura est opposita primæ, in qua medium est subiectum propositionis maioris & prædicatũ minoris. Sed prorsus otiosa est quarta figura, imo in rerum natura non est. Nam exemplum allatum congruit ad 1. figuram, quia partium ibi est transpositio, hoc est, propositio maior traiicitur in locũ minoris. Traiectio autem partium non constituit nouam formam syllogismorum. 2. Ramus syllogismum diuidit in contractũ & explicatum. Contractum vocat, cum quæstioni particulari

specia-

ſpeciale exemplum ſubiicitur, *vt quædam in A ſunt fœminina, vt Muſa*, inde poteſt fieri plenus ſyllogiſmus tertiæ figuræ Ariſtotelicę. *Muſa eſt generis fœminini, Muſa deſinit in A. E quædam in A ſunt generis fœminini.* Explicatos vocat ſyllogiſmos primæ & ſecundæ figuræ Ariſtotelis. Sed diuiſionem Rami probare nõ poſſumus, cum iſtiuſmodi contractio non ſit actu ſyllogiſmus, nec diſpoſitio ſyllogiſtica, ſed tantum materia ſyllogiſmi, quæ deinceps diſponi poteſt, tum plene tum imperfecte, id eſt, ἐνθυμηματικῶς. Syllogiſmus enim dicitur a diſpoſitione, cum dico, *quædam in A ſunt generis fœminini, nihil diſpono.* 3. Porro, Valla non recte reiicit ſyllogiſmos tertiæ figuræ hoc argumento, quod nullum explicatæ ratiocinationis exemplum in promtu ſit. Nam etſi verum ſit ſyllogiſmos tertiæ figuræ plenos, eſſe raros, & admodum infrequentes, tamen apud Cic. in Tuſc. 5. & ſecundo de finibus integra exempla exſtare videntur, quæ eiuſmodi fere ſunt. *Vir bonus eſt laudabilis. Vir bonus eſt beatus. E. vir beatus eſt laudabilis.* Item, *ſapiens ſemper beatus eſt. Sapiens autem aliquando eſt in dolore.* Non igitur, *dolor tollit prorſus beatitudinem, & per conſequens dolor non eſt ſummum malum.* 4. Ad extremum, vulgus putat eſſe ſyllogiſmum tertiæ figuræ, qui exſtat in Euangelio, *Deus eſt Deus viuorum. Deus eſt Deus Abrahæ. E. Abraha viuit.* Verum ſi attentius rem conſideres, eſt in prima figura non tertia, & congruit ad modum quem vocant Darij. Senſus enim hic eſt; *Quorumcunque Deus ſe*

profitetur Deum esse, illi viuunt; Deus se profitetur esse Deum Abrae. E. Abra viuit. Et toto hi cœlo errant, qui in proposito syllogismo medium terminum esse putant, Deus. Quæstio enim *Abra viuit*, non potest concludi hoc medio falso, *quia Deus est.* Sed hoc modo potest concludi, *quia Deus se profitetur esse Deum eius.*

Regulæ generales de syllogismis categoricis.

1. Ex puris particularibus & negatiuis nihil sequitur necessario, iuxta versum; *Partibus ex puris sequitur nihil atque negatis.*

2. Conclusio sequitur partem debiliorem, & deteriorem, *id est, si alterutra præmissa particularis sit, conclusio quoque talis erit, si negans, negata erit conclusio.*

Errat igitur Sarcerius, qui in syllogismo expositorio ex duabus singularib. colligit vniuersalẽ, *vt Abraham duxit vxorẽ, Abraham erat pius. E. omnes, qui sunt pij, ducere vxorem possunt.* Sed hic difficilimus nodus est excutiendus in syllogismo expositorio. Propositio communis, quæ fit conclusio, exponitur per singulares: seu ex duabus propriis infertur conclusio indefinita, æquipollens particulari, *vt Phalaridis exitus fuit tristis. Phalaris fuit Tyrannus. E. tyrannorum exitus sunt tristes.* At quomodo quæso ex duabus singularibus concludi potest indefinite, cum cõclusio sequatur partem ignobiliorem; ignobilior autem sit singularis quam particularis, vel indefinita. Dico igitur per se & ex lege dispositionis, non inferri posse ex singularibus

parti-

paricularem, sed singularem. Ratio est, quia infimius & deterius, firmius & præstantius producere non potest, nec effectum præstantius est sua causa. Quare sic colligo lege logica; *Hæc persona est Deus, hæc persona est homo. E. quidam homo est Deus*, vt conclusio æquipolleat singulari. Non vero. *E. quidam homines sunt Dij.* At inquis valet tamen. *Irus est pauper. Irus est homo. E. quidam homines sunt pauperes.* Respondeo, Valet quidem, sed non vi præmissarum, sed propter aliud, videlicet naturę dispensationem. Cum dico, *hæc res vrit, hæc res est ignis. E. ignis vrit.* Valet quidem collectio, non lege syllogistica, sed lege naturæ, qua agit vno eodéq; modo.

DE I. FIGVRA ARIstotelica.

Prima figura est, cum medium in propositione subiicitur, in assumtione vero prædicatur. *Huius syllogismi dicuntur ab Aristotelicis* perfecti, *quod maxime sint naturales.*

Aristotelici syllogismum duplicem faciunt Perfectum & Imperfectum. Perfectum vocãt, *qui nullo alio indiget, quo necessitas eius fiat euidentior, vt primæ figuræ.* Imperfectus est, *qui aut vno aut pluribus indiget, vt eius necessitas appareat, vt secundæ & tertiæ figuræ syllogismi, qui reducuntur ad primam.*

Obiiciat aliquis, *omnes syllogismos cuiuscunq; sint figuræ, necessario concludere, itaq; esse perfectos.* Respondeo, quosdam syllogismos dici perfe-

ctos ratione priuationis euidentiæ, qua ad nos, non vero necessitatis ipsius, quæ consequentiæ est. Imperfecti dicuntur, qui perfectione indigent, non vt fiant necessarij, sed vt necesitas eorum conspicua fiat.

Prima figura est, talis dispositio terminorum, in qua medius terminus est subiectum in maiore, & prędicatum in minore.

Modi eius sunt tum Proprij, tum Communes.

Communes sunt quatuor, Barbara, Celarent, (*primæ*) Darij, Ferioq;. *Vbi A significat vniuersalem affirmatiuam, E vniuersalem negatiuam, I particularem affirmatiuam, O particularem negantem.*

Modus est legitima enuntiatorum in syllogismo secundum qualitatem & quantitatem conformatio.

Barbara primus modus est, *cum omnes partes sunt generales affirmantes.* Celarent, *cum propositio & complexio, id est, conclusio sunt generales & negantes. Assumtio generalis & affirmans.*

Darij *cum sola propositio generalis est*, partes antecedentes sunt affirmantes. Ferio, *cum sola propositio generalis est, & sola assumtio affirmans.* Exempla vide in Philippo.

Modi proprij duo sunt.

Primus de quæstione propria & affirmante.

Secun-

Secundus de quæſtione propria & negante.

Primus habet partes antecedentes ſimiles quæſtioni.

Secundus partes antecedentes habet proprias,& ſolam aſſumtionem affirmantem.

Exemplum prioris proprij.

Chriſtus eſt filius Dei
Ieſus eſt Chriſtus
E. Ieſus eſt filius Dei.

Exemplum ſecundi.

Elias non eſt Chriſtus
Ioannes autem eſt Elias
Ioannes igitur non eſt Chriſtus.

In conformatione primæ figuræ duæ ſunt obſeruandæ regulæ.

1. In prima figura propoſitio ſemper ſit vniuerſalis, vel certe habeat vim vniuerſalis; ſeu ſit κατὰ παντὸς. Quapropter nō valet, *Peccata ſunt in ſanctis, Adulterium eſt peccatum. E. eſt in ſanctis.* Non valet, quia in prima figura maior ſit vniuerſalis. *Hinc Ariſtotelici dicunt, ſyllogiſmum primæ figuræ oportere congruere ad principium ſeu regulam dici de omni, & dici de nullo.* Vocant autem dici de omni, quādo nihil ſub ſubiecto ſumi poteſt, de quo alterum, hoc eſt, *prædicatum* non etiam dicatur, hoc eſt, *prædicetur.* Dici de nullo, quando nihil poteſt ſumi ſub ſubiecto de

quo prædicatum, quod de ſubiecto remouetur, non etiam remoueatur.

11. Minor non ſit negata in prima figura. Hinc non valet, *Iudæis præceptum eſt ſanctificare Sabbatum. Nos non ſumus Iudæi. E. non tenemur ſanctificare Sabbatum. Virginitas eſt bona. Matrimonium non eſt virginitas. E. Matrimonium non eſt bonum.*

Exceptio.

Si maior propoſitio conuertibilis fuerit, nihil impedit hæc regula, *vt omnes credentes ſaluantur. Turcæ non credunt. E. non ſaluantur. Qui ex Deo eſt, verbum Dei audit, Iudæi non ſunt ex Deo. E. Iudæi non audiunt verbum Dei.* Sic cõuerſa maiore propoſitione. *Quotquot ſaluãtur, credunt, Qui verbũ Dei audiunt ſunt ex Deo.*

Notatio.

Proprij modi] Ariſtotelici ſyllogiſmos proprios e dialectica exterminant his argumentis. 1. *Syllogiſmus, nullus eſt ſyllogiſmus ſine enuntiatione κατὰ παντὸς Ariſtotel. 1. prior. cap. 24. Singularis enuntiatio non eſt κατὰ παντὸς. E. non poteſt ſyllogiſmus conſtare ex puris ſingularibus.* Reſpondeo, Negãda eſt aſſumtio, quia hæc propoſitio, *Socrates eſt homo*, eſt ęque κατὰ παντὸς atq; iſta, *homo eſt animal.* Socrates enim ſemper & vbiq; homo eſt. 2. *Præcepta debent eſſe catholica. De propriis rebus catholica præcepta eſſe nequeunt. E. propriis ſyllogiſmis in dialectica non eſt locus.* Reſpõdeo, Neganda eſt aſſumtio. Nã definitiones ſpeciei ſpecialiſſimæ, id eſt, indiuidui & proprij ſeu ſingularis enuntiati ſunt catholicæ, ſemperque

queac neceſſario veræ. 3. *Pracepta logica ſunt de rebus vniuerſalibus, ſingularia & propria non ſunt vniuerſalia; ſingularia enim ſunt ſenſilia, vniuerſalia vero intelligibilia. E. de ſingulari ſeu proprio ſyllogiſmo logicum praceptum nullum.* Reſpondeo, Propoſitio non eſt generaliter vera. Nam theoremata logica debent omnibus omnino rebus conuenire, cum vſus logicæ ad quęlibet ſe extendat. Non igitur illa theoremata tantum vniuerſalibus, ſed præcipue ſingularibus rebus diſſerendis inſeruiunt. 4. *Syllogiſmi, quorum concluſio ſenſu nota eſt, & quidem notior pramiſſis ſunt inepti ac fatui: Argumentū enim definitur eſſe quod non cuilibet, ſed dubia rei fidem facit. In propriis ſyllogiſmis concluſio ſenſu nota eſt, vt quis eſt, qui neſciat Pompeium non eſſe Iulium. E. proprij ſyllogiſmi ſunt inepti & fatui.* Reſpondeo, minor non eſt generaliter vera. Nam quæſtio dubia eſt, qua fit concluſio. *Ioannes Baptiſtas non eſt Meſſias*, hæc notior præmiſſis non eſt. Itaque recte concluditur *Meſſias tollit peccata mundi. Ioannes Baptiſtas non tollit peccata mundi. E. non eſt Meſſias. Lyra eſt ſtella fixa. Hac fax non eſt ſtella fixa. E. hac fax non eſt lyra.* Sic non ſatis nota eſt ſenſu *Ioannes non eſt Chriſtus.* Sic itaq; concluditur. *Chriſtus non eſt vox clamantis in deſerto. Ioannes autem eſt talis vox. E. Ioannes non eſt Chriſtus.*

DE II. FIGVRA.

Secunda figura eſt, talis diſpoſitio terminorum, vt argumentum ſit prædicatum in maiore & minore.

Modi communes ſunt, Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco ſecundæ.

Regula.

1. In ſecunda figura maior eſt vniuerſalis, non particularis.

2. Concluſio ſemper negans nunquam affirmans eſt.

Exceptio.

Ex puris tamen affirmatis in ſecunda aliquid ſequitur, cum propoſitio eſt terminorũ cõuertibilium, *vt Deus eſt æternus, Chriſtus eſt æternus, Chriſtus igitur eſt Deus.* Ad primam figuram ſic reducitur. *Quicquid æternum eſt, Deus eſt. Chriſtus eſt æternus. Chriſtus igitur eſt Deus.*

Terminorum conuertibilium] Videlicet cum maior non tantum eſt vniuerſalis, ſed etiam reciproca, *vt credentes ſaluantur, infantes ſaluantur, ergo credunt. Verus Deus eſt creator cœli & terræ. Chriſtus creauit cœlum & terram. Eſt igitur verus Deus.*

Exempla modorum communium pete ex Philippo & Ramo.

Modi proprij duo ſunt.

1. Cuius ſola aſſumtio eſt affirmans, *vt Chriſtus non fecit pactum cum diabolo. At Simon magus iniit pactum cum diabolo, Simon magus igitur non eſt Chriſtus.*

2. Cuius ſola propoſitio eſt affirmans, *vt Chriſtus eſt Saluator mundi. Joannes*

Bapti-

Baptista non est Saluator mundi. Ioannes Baptista igitur non est Christus.

DE III. FIGVRA.

Tertia figura talis est dispositio terminorum, in qua medius terminus vtriq; extremorum subiicitur, id est, est subiectum in maiore & minore.

Regula.

1. In tertia figura minor semper est affirmans.

2. Conclusio semper est specialis seu particularis.

Exceptio.

In tertia figura, cum assumtio est reciproca, & propositio vniuersalis, concludi etiam potest vniuersaliter, *vt omne respirans est animal. Omne respirans habet pulmonem. E. quicquid habet pulmonem, est animal.*

Modi communes sex sunt. Exempla vide in Philippo.

Modi proprij sunt duo.

Affirmatus. *Hæc virgo est mater Domini. Hæc virgo est Maria. Maria igitur est mater Domini.*

Negatus. *Hæc stella non scintillat. Hæc stella est Venus. Venus igitur non scintillat.* Ad tertiam figuram referunt syllogismum expositorium.

NOTA.

Aristotelici hic tradunt doctrinã reductio-

nis, quæ quia non habet magnum vsum a nobis prætermittitur. Vocāt autem reductionem reuersionem syllogismi secundæ & tertiæ figuræ in primam. Faciuntq; eam duplicem *ostensiuam* & *ad impossibile*. Ostensiua dicitur, *quod euidentius ostendat consequentiam secundæ & tertiæ figuræ*. Reductio ad impossibile fit, *assumtione contradictoriæ conclusionis syllogismi imperfecti, cuius præmissam tanquam veram concessit aduersarius, sed conclusionem concedere non vult, atq; ita aduersarius eo redigitur, vt vel reuocet vel concedat*. Sed hæc reductio non est, nisi argumentum a contradicentibus. In reductione ostensiua consonantes S. & M. considerantur. S. significat conuersionem simplicem. B. inuersionem per accidens, M metathesin, id est, propositionis transpositionem. Considerantur etiam literæ initiales. C. monet reducendum esse ad Celarent, D ad Darij, F ad Ferio, B. ad Barbara, *vt Nulli vere credentes damnantur. Omnes impœnitentes damnantur. E. Nulli impœnitentes sunt credentes*. Hic consequētia constans & perspicua est, vt mihi non videatur opus reductione. Sed quia Aristotelici ita volūt, reducitur sic hic syllogismus, qui est in Cæsare secundæ figuræ ad Celarent primæ figuræ, propositione tantum simpliciter conuersa, quod monet litera S. *Nulli damnantur, qui sunt vere credentes. Omnes impœnitentes damnantur. E. Nulli impœnitentes sunt vere credentes*. Syllogismus est in Darapti; *Omnis homo est mortalis. Omnis homo est substātia. E. quædam substantia est mortalis*. Reductio

ad pri-

ad primæ figuræ modum Darij, minore per accidens conuersa, quod monet litera P. *Omnis homo est mortalis. Quædam substantia est homo. E. quædam substantia est mortalis.*

Ego cur his reductionibus non sint onerandi adolescentes, moueor etiam hac ratione, quod conclusio reducti syllogismi sæpe non valet, sed alia, & ita quæstio proposita non manet. Idq; fit, cum vtẽdum est transpositione & conuersione simul, *vt quidam homo est literatus. Omnis homo est animal. E. quoddam animal est literatum.* Syllogismus hic est in tertia figura, in modo Disamis, *Si reduxeris ad Darij modum sic. Omnis homo est animal, quidam literatus est homo. E. quoddam literatum est animal.*

DE CONNEXO SYLlogismo. CAP. XVII.

Syllogismus compositus est, vbi tota quæstio, altera pars propositionis compositæ, argumentum est in reliqua parte. *Intellige propositionem argumentum cum tota quæstione proponere, assumtionem repetere argumentum,* conclusionem repetere quæstionem.

Estq; Conditionalis seu connexus: vel Disiunctus. *(Nam si propositio sit relata refertur argumentatio ad syllogismum connexũ: si sit copulatiua negans refertur ad disiunctum.)*

Connexus syllogismus est, syllogismus compositus, cuius propositio est

connexa, vel huic æquipollens.

Eius ſunt duo modi conſtantes.

1. Aſſumit antecedens & concludit conſequens. Cic. *paradox. tert. Si virtutes pares ſunt inter ſe, paria etiam eſſe vitia neceſſe eſt, Sed primũ verum, Verum igitur & ſecundum.*

2. Tollit conſequens, vt tollat antecedens, *vt ſi per legem iuſtitia, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Sed non eſt fruſtra mortuus. Non igitur per legem iuſtitia. Sic concludit Paul. Gal. 2.*

Interdum cum propoſitio eſt reciproca, aſſumitur etiam conſequens affirmate, vt concludatur antecedẽs, *vt ſi equus eſt, hinnit, atqui hinnit. E. equus eſt.*

Syllogiſmus diſiunctus, eſt ſyllogiſmus compoſitus, cuius propoſitio eſt diſiunctiua.

Modos habet duos.

1. Tollit vnum & reliquũ concludit, *vt aut per gratiam homines eliguntur aut propter merita, ſed propter gratiam, Non igitur propter merita.*

2. Aſſumit affirmate vnum & reliquum tollit. *Paul. Rom. 3. Aut fide aut operibus aut vtroq; ſeruamur. At fide, Non igitur cæteris.* Huc refer etiam copulatis negatis propoſitionibus concluſos ſyllogiſmos, quæ ſcilicet ſunt immediatæ, ideoq; diſiunctarum affirmantium vim habent, *vt non & gratia & meritum cauſa eſt electionis. Sed gratia eſt, non igitur meritũ. Hæc propoſitio æquipollet iſti, aut gratia aut meritũ eſt cauſa electionis.*

Quærat aliquis, cur valeat consequutio hæc, *Non & viuit & mortua est. Sed viuit. E. non est mortua.* Item, *non & prudens est & stultus, stultus autem est. E. non prudens.* Cur autem non valeat ista consecutio. *Non & viride & album est. Sed album non est. E. viride?* Respondeo, quia in primis duabus syllogismis propositio cõstat e contrariis immediatis, & sensus est, *aut viuit aut mortua est, aut prudens est aut stultus.* In posteriore vero propositio constat ex disparatis, id est, oppositis medium habentibus, quæ non æquipollet huic, *aut viride est, aut album.* Cæterum Philosophus & alij faciunt tertium etiam genus, videlicet syllogismũ copulatiuum, tum affirmantem tum negantem. Affirmantis afferunt talia exempla, *Deus est immortalis, & homo est mortalis. E. Deus est immortalis.* Item, *Iustus est Deus & vindex scelerum.* Atqui hoc totum verum est. *E. Deus est iustus.* Sed hi, quod bona ipsorum pace dixerim, vidẽtur ἀδολεσχεῖν & ταυτολογεῖν, & tradere regulam sine exemplis. Eiusmodi enim syllogismus apud nullum bonum auctorem exstat. Quid quod res accuratius cõsideretur? qui illis videntur copulati, si pro syllogismis habendi sunt, certe sunt connexi hac ratione; Si totum, verum quælibet eius pars vera erit. Sed hæc tota, *Deus est iustus & vindex scelerum*, vera est. E. etiam hæc pars vera erit, *Deus est iustus.*

DE SYLLOGISMO DIALEctico demonstratiuo & sophistico.
CAP. XVIII.

Postremo ratione materiæ, ab Aristoteleis syllogismus diuiditur, in Dialecticum seu topicum seu probabilem: Demonstratiuum ἀποδεικτικὸν, & Sophisticum.

Demonstratio est syllogismus ἐπιστημονικὸς, id est, faciens scire, vel simpliciter: vel quodammodo, constans ex enuntiatis certo necessarioq; veris, & conclusione notioribus, alioquin est petitio principij.

Estq; duplex demonstratio.

Vna dicitur Primaria & διότι, id est, propter quid, item ἁπλῶς simpliciter: seu κυρίως proprie.

Altera est Secundaria seu ὅτι.

Demonstratio διότι est, quæ ex primis & immediatis propositionibus constat, hoc est, καθ' ὅλου πρῶτον, seu quæ effectum per primam & simpliciter proximam causam demonstrat.

Primis] Quæ non per alia, sed per se fidem habent, *vt omne rationale est docile, omnis homo est rationalis. E. est docilis.* Hic syllogismus est demonstratiuus simpliciter, quia proprium suum adiunctum primo suo subiecto per primam causam, quæ forma subiecti est, inesse monstratur. *Quicquid in partes diuisibile est, id*

loco

loco circumscriptum est, Omne quantum in partes diuisibile est. E. Omne quantum est loco circumscriptum. Eiusmodi demonstratio simpliciter dictam scientiam gignit.

Demonstratio ὅτι est, quæ vel causam ex effectu, vel effectum ex causa remota concludit. Hæc gignit scientiam secundariam. *Quod non scintillat, illud prope est. Planetæ nō scintillant, igitur prope sunt.* Hæc demonstratio est ex effectu. *Quicquid respirat, est animal. Nullus paries est animal. Nullus igitur paries respirat. Pulmones sunt proxima respirationis causa, animal remota. Quod sentit appetit, homo sentit. E. homo appetit. Non sentit homo primo, sed animal primo sentit, quia animal proximum subiectum est sensus, homo vero remotum.*

Syllogismus Dialecticus est, syllogismus ex probabilibus constans. Hic gignit opinionem veram.

Probabilia ἔνδοξα sunt, quæ videntur omnibus aut pluribus aut sapientibus vera esse, *vt qualis est causa, tale est effectum, seminis natura est elementaris. E. quod ex semine fit, elementare est; Omnis stella est perpetua Cometa non est perpetuus. E. non est stella.* Dicitur dialecticus, quod beneficio Dialecticæ homines ingeniosi tales syllogismos multos conficiant.

Sophisticus φαινόμενος alias, est, qui constat ex propositionibus veri qui-

dem speciem habentibus, sed interim falsis, dicitur etiam ἐριστικὸς contentiosus. Hic gignit errorem & elenchos.

Huc referunt Aristotelici doctrinam de fallaciis seu elenchis & locis sophisticis. *Quicunq; credunt seruantur. Dæmones credunt. E. seruantur.* Respondeo, est elenchus ὁμωνυμίας. Est enim ambiguitas in vocabulo fidei: dæmones credunt, scilicet historice.

DE METHODO.

CAP. XIX.

Methodus est multarũ variarumq; enuntiationum artificiosa seu secundum differentiam antecessionis & cõclusionis dispositio.

Estq; duplex, altera Naturalis: altera Prudentiæ seu iudicij, quæ quasi illius est ἀνωμαλία.

Methodus naturalis est, quæ progreditur a summis per media ad infima, id est, quæ progreditur ab vniuersalibus ad singularia & sensilia, a natura notioribus ad ignotiora.

Vsus eius est perspicue & aperte docere.

Estq; naturalis duplex, Vniuersalis: vel Particularis.

Vniuer-

Vniuersalis est longioris alicuius disputationis, vel artis ordinandæ, vel conformandæ.

Particularis est, via monstrans certã rationẽ tractandi, & explicandi membrũ aliquod integri alicuius corporis.

Partes præcipuæ sunt Definitio, & Distributio. *Dico præcipuæ, quia interdum etiam accedit syllogismus, vt in Arithmetica, Geometria, Physica & Ethica.*

Partium ordo talis est. Definitio generalissima, quæ generalissimum finem artis continet, prima erit. Distributio sequetur, & quidem prior locus tribuetur partitioni, posterior diuisioni. Porro partes ipsæ & species eodem ordine sunt rursus tractandę & definiendę, quo distributæ fuerũt, & transitionum vinculis colligandæ sunt. Exemplum. *In Grammatica primo loco statuetur definitio artis, partitio erit secundo loco. Tum definito adhibebitur etymologia. Adiungentur item vocis partes in literis & syllabis. Literæ doctrina prior erit doctrina syllabæ. Litera natura prior & magis vniuersalis est, quam syllaba. Siquidem, teste Aristotele, vniuersalia sunt communia, quæ pluribus insunt, iam litera inest & syllabæ & dictioni & orationi, & sic deinceps. Sic in dialectica argumentũ est magis vniuersale, quam enuntiatum. Argumentum enim pars est enuntiati. Doctrina igitur argumenti prior erit, quam enuntiati. In Geometria punctum est magis vni-*

uersale quam linea, linea quam superficies, superficies quam corpus, prius igitur agendum de linea, quam superficie. Aristoteles compositurus Physicam, primum definit quid sit φύσις. Postea eam in simplicem & compositam diuidit. Simplicem spectat in cœlo & 4. elementis. Compositam in brutis & animatis rebus. Sic orator quoties perspicue & aperte rem docere vult, summam quandam causæ proponit in partes, si multiplex ea sit, deinde diuidit ac deinceps explicat. Hinc veteres Rhetores partes orationis faciunt exordium, narrationem, propositionem, disputationem & perorationem. Ex quibus partibus aliæ sunt Principes, aliæ Minus principes. Principes sunt propositio, *qua statim controuersia definitur, eaque est prima.* Distributio seu partitio eam sequetur. Disputatio, *qua singulæ distributæ partes definiuntur & disputantur.* Hæc proxima est. Estq; vel Confirmatio vel Confutatio. Confirmatio *est nostræ sententiæ approbatio.* Refutatio *est*, *qua contraria sententia refutatur & refellitur.* Minus principes sunt, exordium, quod propositioni præmittitur. Narratio *vnde quæstio primum orta est.* Peroratio, *quæ repetit argumenta ac mouet animos, atq; sic orationem totam concludit.*

Methodo particulari quæstio aliqua simplex ab Aristotelicis sic tractatur. Priusquam rei definitio quæritur, respiciendum est, *an sit res*, vt *an sint angeli*, Deinde notatione, vi vocis & definitione natura. Caussæ & effecta. Si opus est subiecta & adiuncta.

Pugnan-

Pugnantia. Aristoteles contentus est quatuor quæstionibus, ad quas loci thematis simplicis a Philippo, traditi reuocari possunt. 1. *an sit*, 2. *quid sit*, 3. *quale sit*, 4. *cur sit*.

Hactenus de methodo perfecta & absoluta, nunc de methodo prudentiæ.

Methodus prudentiæ est naturalis methodi quædam anomalia atq; imperfectio, est enim ordinis alicuius inuersio, vel partis alicuius methodicæ omissio & occultatio, vel membri cuiusdam redundantia certo consilio facta. *Itaq; hic locum aliquando habent* ὑστερολογίαι, *qua consequentia antecedentibus proponuntur*, ἔκλειψις, *cum oratio in re proposita est digressio a materia. Vsus huius peruersæ methodi est, delectare potius, fallere, promouere, vincere, quam docere, vt in quæstione composita seu coniuncta, si dubia est, interdum vtimur argumẽtis quibuslibet, eaq; pro iudicio nostro collocamus. Oratores certo consilio firmissima argumenta primo & vltimo loco collocant, reliqua medio. Et sic legitima totius artis logicæ præcepta exposita sunt, in quibus disserẽdi virtus consistit. Differendi virtutibus contraria sunt vitia, quæ et si pars artis non sint, tamen virtutes oppositione sua illustrant. Aduersa enim teste Aristotele e regione posita maxime apparent. Quare doctrinam de fallaciis breuiter subiungemus.*

DE FALLACIIS.

Fallacia est fallens, & decipiens ra-

tiocinatio. *Cic. vocat fallacem conclusiunculam, alias dicitur Captio, & σόφισμα Græcis. Σοφισταὶ sunt, qui maxime olim studebant, vt incautos suis argutiis caperent & sophisticen ex professo docebant. Sophistice est teste Aristotele, φαινομένη σοφία apparens & fucata sapientia.*

Estq; teste Aristotele, in Verbis: vel Rebus. Illa παρὰ τὴν λέξιν, id est, intra dictionem: Hæc ἔξω τῆς λέξεως, extra dictionem appellatur. Græce ἔλεγχος.

Elenchus generaliter & specialiter accipitur. Vox generaliter accepta significat *ratiocinationem, qua aliquid efficitur, quod ei, quod propositum est, sit contrarium, a verbo* ἐλέγχω *arguo seu conuinco.* Hic vero accipitur specialiter pro *captiosa deprehensione, vt intelligatur Sophisticus. Cic. vocat fallaces conclusiunculas.*

Elenchus circa dictionem] Hic quæri potest *an distinctio sit logica.* Respondeo, per distinctionem. Præcipere de distinctione dictionis ambiguæ est logici, sed vocis ambiguitatem explicare est lexici.

Elenchus ὁμωνυμίας, est elenchus καθ᾽ αὐτό. ὁμώνυμα sunt vocabula πολύσημα, id est, *quæ habent multas significationes, vt quod quis emit, poterit dicere iure suũ, Carmina Paulus emit. E. recitat sua carmina Paulus.* Respondeo, distinguo significationem sui propter ambiguitatem. Aliud est suum emtione seu proprietate & possessione, aliud suum ποιή-
τῇ, id

ῥ, id est, compositione & efficientia.

Elenchus metaphoræ est, cum tropus parit ambiguitatem. *Obscuri enim & duri tropi sunt alieni a re, quæ perspicue est proponenda & tractanda.*

Elenchus expositionis introducit, quatuor terminos.

Est autem talis elenchus, cum termini non recte subsumuntur aut exponuntur & ita fiunt 4, *vt homo est auctor peccati. Deus est auctor hominis. E. Deus est auctor peccati.* Respondeo, in assumtione peccatur contra legem καθ' αὐτὸ, seu est fallacia expositionis terminorum, seu sunt quatuor termini, seu non recte subsumitur, subsumendum enim erat, *Deus est homo.* Terminos 4 demonstro. 1. *homo.* 2. *Deus.* 3. *auctor peccati.* 4. *auctor hominis.* Aliud exemplũ. *Dextra Dei est vbiq; & infinita. Humanitas Christi consedit ad dextram Dei patris. E. Humanitas Christi est vbiq; & infinita.* Elenchus est expositionis. Itaq; soluendus est hic syllogismus per aptam terminorũ expositionem seu negationẽ rectæ subsumtionis, qua ipsa ostenduntur quatuor termini. Talis debebat esse assumtio. *Humanitas Christi est dextra Dei,* quod falsum est, quatuor termini hi sunt, 1. *dextra Dei,* 2. *esse vbiq;.* 3. *humanitas.* 4. *considere ad dextrã Dei.*

Elenchus petitionis principij est, cum ipsa quæstio affertur, pro argumento quæstionis, vt habeo thema,

homo est animal, quod cupis a me probari. Ego probo, quia *est animal*, tu respondebis, *committis elenchum petitionis principij, seu nihil arguis propter ταυτότητα, id est, identitatē seu cuculi cantum*. Ac petere aliquis principium dicitur, cum id assumit, quod erat concludendum, seu, cum id pro confesso habeatur, quod est totius disputationis principium & caput, *vt orandum est pro mortuis*, quia est *ignis purgationis*.

Elenchi redundantiæ exemplum. Si dico, *homo est sentiens animal rationale*. Dico est elenchus nugationis, sentiens enim redundat, quia sentiens comprehenditur sub animali.

DE ELENCHO causæ.

Elenchus efficientis fit, cum id, quod assumitur pro argumento, aut non est verum efficiens, aut non sufficiens, *vt hic adolescens habet magnam copiam librorum. E. repente euadet doctus. Mulier hæc non habuit telum. E. non interfecit eum. Deus non habuit ministros. E. non potuit ædificare mundum.*

Elenchus materiæ est, cum pro vera materia sumitur suppositítia, *vt in adulterinis nummis pro auro cuprum. In syllogismo enuntiatio falsa pro vera.* Item, cum ex eo, quod adsit materia, materiatum statim concludis esse. *Non valet igitur, habet*

farinam. E. habet panẽ. Perperam igitur colligitur, cum materia est transiens, id est, cum non durat, *vt non habet farinam. E. non habet panem.*

Elenchus formæ fit, cum pro vera forma sumitur falsa, vel accidentaria. Huc pertinent ἀνακόλουθα καὶ ἀσυλλόγιστα, quæ speciem quidem habent syllogismi legitimi, sed tamen a vera eius forma recedunt. *Mortale est falsa forma animæ, quia hominis anima est immortalis.* Huc pertinent fallaciæ consequentis.

Elenchus finium est, cum pro vsu abusus, pro vero fine falsus finis ostenditur, *vt ducere vxorem propter pecuniam.* A fine aberrante & accidenti non valet consequutio.

Elenchus effectorum est, cum vitiosa effecta falsa & impropria assumũtur, *vt Pharisæi crebro ieiunant & orant prolixe. E. sunt sancti.* Elenchus est factorum, quæ non a sanctitate profecta sunt, sed ab ambitione. *Hi damnant cultus mortuorum & adorationem panis. E. sunt hæretici.* Elenchus factorum est. Hæc enim facta non sunt tantum hæreticorum, sed omnium recte sapientium & sentientium.

Elenchus subiectorum est, cum id, quod non subiicitur, subiectum arbitratur. *Hunc committunt, qui poetas enarrandi scientiam Grammaticæ vendicant, cum nullum*

in Grammatica tradatur praeceptum de poetarum sententiis interpretandis. Hũc committunt pontificij, cum sic arguunt, *Homo non est iustus sola notitia. Fides nihil aliud est quam in mente notitia. E. nemo est iustus sola fide.* In assumtione est elenchus subiecti, quia fides non tantum est lux in mente, sed etiam assensio, fiducia, motus spiritus sancti in voluntate & corde, quod in Christi obedientia acquiescit.

Elenchus adiuncti est, cum fallimur conclusione adiuncti non proprij, nec necessarij, aut cum alioqui accidentia male iunguntur. *Hic habet cultrum. E. est cocus. Si mel est, flauus rei inest color, sed flauus rei inest color. E. mel est.* Non valet illatio, *Flauus enim color est commune adiunctum mellis & fellis. Vulcanus claudicat, & est ingeniosus. E. Vulcani ingenium claudicat. Male iunguntur accidentia corporis & animi.* Huc pertinet etiam hic syllogismus; *Quam carnem heri emeras, edisti, Tu heri crudam carnem emisti. E. crudam carnem edisti.*

Elenchus oppositorum. Hic primus elenchus est disparatorum, cum ex vnius negatione, alterius affirmationem concludis, *vt haec arbor non est pinus. E. est Iuniperus.* Fit & fallacia cum confunduntur disparata, *vt cum fit confusio Grammaticae & Rhetoricae.*

Elenchus relatorum fit, cum relatum

tum confunditur cum correlato, id quod fit in crimine incestus, item cum relata consentanea adhibentur pro dissentaneis relatis, *vt hic est pater. E. hic est filius.* Sic debet inferri. E. habet filium. Etsi enim relata habeant mutuam affectionem, vtrumq; tamen in eandem rem conuenire non potest.

In Genere. Elenchus oppositorum fit, cum pro oppositis habentur, quæ vere non sunt opposita; seu cum opposita dicuntur non de eodem, non secundum idem, non ad idem, non eodem modo, non eodem tempore, *vt cum dico, aliud animal intelligit, aliud non intelligit, Non sunt vere opposita, si non dicuntur de eodem. Sic homo est mortalis, & est immortalis, & opposita non sunt, si dicuntur secundum idem, homo mortalis est corpore, immortalis anima.*

Fit & elenchus oppositorum, cum oppositio fit secundum aliquod commune, id est, secũdum genus seu communia accidentia, *vt Pater est doctus. E. filius non est doctus.* Non valet consequentia, quia opposita ex differentiis quibus dissident, censenda sunt. Sic autem valet, *Pater genuit. E. filius est genitus.*

Comparatorum elenchus est contra κατ' παντὸς. Fitq; cum adhibentur, vt

paria, quæ ſunt imparia, vt maiora quæ ſunt minora, vt minora quæ ſunt maiora, deniq; vt ſimilia quæ ſunt diſſimilia, Ariſtoteles vocat τὸ ἁπλῶς μὴ ἁπλῶς *vt mala opera damnant. E. bona ſaluant.* Eſt elenchus parium. bona enim & mala opera in comparatione ſunt inæqualia, mala enim opera integre pugnant cum lege Dei, bona vero quodammodo bona ſunt, id eſt, non perfecta. Sic elenchi imparium committuntur, cum ita infertur. *Fides hominem iuſtificat. E. multo magis dilectio. Puerorum animi dociles ſunt & flecti poſſunt. E. multo magis matura virorum ætas virtutis & artium ſtudiis erudienda eſt.*

Ad elenchum ſimilium hoc pertinet, *vt ſenes ſeueri ſunt & graues, ita iuuentuti debet ineſſe ſeueritas.* Non eſt ſimile, quia *propria eſt iuuentuti lætitia & iucunditas.*

Ad elenchum diſſimilium pertinet hoc, *ſicut viſus exſtinguitur, ita etiam intellectus.* Item, *Iudex non poteſt abſoluere, niſi cognita cauſa. E. non poteſt paſtor annuntiare remiſſionem peccatorum, niſi ſcelerum enuntiatio & enumeratio præcedat.* Reſpondeo, diſſimile eſſe opus iudicis & miniſtri.

Elenchus coniugatorum fit, cum ambiguitas eſt in coniugatis, *vt honores iam venduntur auro. E. nunc ſunt aurea ſecula. Cambyſes agit iuſte. E. eſt iuſtus.* Non ſequitur ait Ariſtoteles, cum *res iuſta agi ab iniuſto poſſit, & vna*

& una actio non faciat habitum, una hirundo non adducat ver.

Elenchus notationis fit, cum falsa adducitur nominis interpretatio, *ut cum causa dicitur quasi causa, vulpes quasi volipes, lepus quasi leuipes.*

Huc pertinet fallacia figuræ dictionis. Fit & παραλογισμὸς, cum nomen est angustius, vel generalius notatione, *ut hæc ars dicitur Grammatica. E. tantum docet rationem scribendi vel literarum.* Respondeo, esse appellationem synecdochicam. *Secunda pars matheseos dicitur Geometria. E. tantum docet rationem metiendi terram.* Hic responde, nomen est angustius notatione, cum subiectum Geometriæ sit omnis res mensurabilis.

Elenchus distributionis est, quando aut non est reciprocatio inter partes & totum (*ut si quid desit, vel redundat*) aut partes cum toto non consentiunt, *ut animantium aliud est terrestre, aliud aereum, aliud cœleste.* Tertium membrum redundat. *Hæc virgo est candida, est longa, est recta. E. est tota formosa.* Elenchus est distributionis, quia ex imperfecta partium inductione totum concluditur.

Elenchus definitionis committitur, cum definitio est falsa, obscura, minus reciproca, id est, cum aut ali-

quid redundat aut deest. Redundantiæ exemplum est. *Homo est ens animal rationale.* Defectus exemplum est, *homo est animal bipes, & contra* καθ' ὅλε πρῶτον.

Elenchus testimonij in errore, mendacijs & periuriis quotidianis latissime diffunditur, *vbi homines magis mouentur auctoritate & testimonio, quam ratione & veritate. Quibus redarguendis excogitari debet vel certe perpendi testium ignorantia, improbitas, maleuolentia. Non enim vt Aristoteles inquit, quia affirmatum vel negatum sit in isto vel isto, &c. Ideo erat.*

Sola tamẽ vere diuina testimonia nunquam fallunt.

Elenchus enuntiatorum est, cum affirmata seu negata generalis sumitur pro speciali, simplex pro composita, non opposita pro opposita vel contra. *Tunc peccatur contra legem* κατὰ παντὸς.

Elenchus syllogismi simplicis fit ex omnibus particularibus, & ex puris negatiuis.

Hinc versus, *Partibus ex puris sequitur nihil atque negatis.* Aristoteles vocat fallaciam consequentis παρὰ τὸ ἑπόμενον, *id est, ex consequenti.* Plato ἀσυλλόγιστον *(cum syllogismus est in nullo modo & nulla figura, est fallacia consequentis.)* Item cum ex omnibus affirmatis in secunda figura concluditur. Item cum in secunda figura propositio est

tio est particularis, item in tertia figura assumtio est negata, *vt Omne animal sentit. Aliquod animal non est homo. E. aliquis homo non sentit. Omnis stella lucet. Omnis Cometa lucet. E. Cometa est stella.* Respondeo, *ex puris affirmatis in secunda figura nihil sequitur.*

Elenchus compositi syllogismi fit, cum afferuntur modi ἀσυλλογισμοί, id est, cum non recte assumitur aut tollitur, *vt Si arbor, equus esset, viueret. Sed arbor equus non est. Arbor igitur non viuit. Homo non & leo est & equus. Sed non est equus. E. est leo.* Hic respondebis fallaciam esse consequentis, vel esse elenchũ dispositionis syllogisticæ, quia forma syllogisticorum modorum hic desideratur.

Elenchus methodi committitur, cum explicatio ab obscurioribus progreditur, a singularibus ad vniuersalia, a posterioribus ad priora, vel cum partes non prosequimur eodem ordine, quo propositæ fuerunt.

Cæterũ Aristot. etiam mentionẽ facit ignorationis Elenchi, fallaciæ secundũ plures interrogationes, & Elenchi a dicto secundũ quid ad dictum simpliciter, econtra κὴ παντὸς. Denique fallaciam accidentis ex his primam referetis ad Elenchum enuntiationis oppositæ, secundã referetis ad Elenchũ enuntiationis cõiunctæ seu παρασυλλογισμοῦ, fallaciam connexionis & disiun-

ctionis. Nam fallacia ſecundũ plures interrogationes ad vnam eſt, cum ad plura ſophiſtice interrogata vna affertur reſponſio. Poteſt etiam referri ad Elenchum ſubiecti, cum plures propoſitiones miſcentur in vnum chaos. Tertiam ſcilicet τὸ ἁπλῶς μὴ ἁπλῶς referetis interdum ad Elenchum comparatorum, interdum ad Elenchum integri & membrorum, vt cum concludimus a parte ſimpliciter ad totum, contra τοῦ παντός. Quartam παρὰ τὸ συμβεβηκὸς aſcribetis Elencho cauſarum & adiunctorum.

FINIS LIBRI SECVNDI.

Δόξα θεῷ μούνῳ, ὃς ὀλύμπια δώματα ναίει,
Δόξα θεῷ υἱῷ, πνεύματι δόξα θεῷ.

APPENDIX M. RODOLPHI GOCLENII AD PARtiones *Dialecticas, de ratione disputandi.*

VSvs Logicæ cernitur in Analysi & Genesi.

Analysis est *ratio retexendi scripta iam cōposita, vt quādo Psalmus in suas partes resoluitur,*

Genesis est *ratio componendi scripta.*

Ad vtramq; pertinet Disputatio.

Disputatio est *sententiarum de re aliqua collatio, a duobus instituta, altero affirmantem, altero negantem partem tuente, ad inquirendam vel confirmandam veritatem.*

Eius causæ efficientes, materia, forma & finis cognoscendæ sunt.

Causæ efficientes disputationis sunt duæ, *Opponens* & *Respondens.*

Quibus interdū aliquis *Moderator* accedit.

Materia disputationis est θέσις, seu ἀφορισμὸς ad disputandum propositus.

Θέσις tum conueniens esse debet, tum vtilis.

Conueniens erit dupliciter,

Primum si sit dubia, de euidēter enim certis quid attinet disputare, *vt bis bina sunt quatuor.*

Deinde si sit possibilis cognitu. Temerarium enim est disputare de iis, quæ comprehendi nō possunt.

Vtilis erit,

Primo *si sit necessaria.*

Deinde *si sit cognitione digna.*

Forma diſputationis eſt modus, quo peragẽda eſt diſputatio,

Eaq; complectitur Opponentis & Reſpondentis officia.

Vtriusq; officia quædam ſunt Communia, quædam Propria.

Communia vtriusq; officia ſunt quędã Ethica, quædam Logica.

Ethica ſunt, Primum, *mentem liberã ab omni præiudicio afferre:* Secundo *fugere omnem ſophiſticam, afferre amorem veritatis, modeſtiã Ethicam vſurpare, patienter exſpectare, dum alter orationem abſoluat, vitare contumelias, conuicia, calumnias, ante adeptam victoriam non triumphare, Sycophantico riſu abſtinere, veritati inuentæ & demonſtratæ locum dare.*

Logica ſunt, Primum *ante omnia de ſtatu controuerſiæ conſtituere. Nam infeliciter diſputat & aerem ferit, qui ad ſtatum cauſæ non attendit.* Secundo *probe & ſuam & aduerſarij ſententiam & vtriusq; argumenta habere perſpecta.* Tertio *legitimis principiis vti. Diſputari enim non poteſt, niſi prius conueniatur in aliquo communi principio ab vtraq; parte diſputantiũ conceſſo, vnde argumenta ducantur, & ex quo iudicetur.* Quarto *Logice diſputare, id eſt breuiter & perſpicue.* Quinto *nõ mutare ſtatum, id eſt, non recedere a quæſtione initio propoſita.* Sexto *non permutare perſonam, id eſt, opponens non debet induere perſonam reſpondentis, nec reſpondens debet obiicere.* Septimo *ſuam ſententiã etiam aduerſarij ſui teſtimonio confirmare.*

Propria officia ſunt Opponẽtis, Primũ *contra*

θέσιν

θέσιν *controuersam obiectiones syllogistice proponere, sic vt obiectionũ conclusiones contradicant thesi ad disputandũ propositæ.* Secundo probare τὸ κειμένον, *hoc est, dubiã præmissam in syllogismo. Probatio autem sumenda est ex illa disciplina, cui res disputabilis est subiecta.* Tertio *repetere breuiter summam datæ solutionis, & ad eam excipere, atq; tamdiu instare, donec abunde sit satisfactum. Instare autem non est aliam obiectionem adferre, sed resistere allatæ responsioni, ostendendo quid in ea desideretur, & si nimis generalis sit, opponere speciem, de qua non sit vera responsio.* Quarto *mouere respondentem sua probantem, vt omissa suæ sententiæ probatione intempestiue suscepta ad argumentum obiectum respondeat. Vti hic potest opponens his formulis, De tua probatione, quam modo attulisti non respondeo, quia meum est in præsenti opponere. Item, Hoc non est argumento proposito respondere, sed potius eludere. Ego cum respondentis vices obiero, locum elucidabo; quem mihi regeris. Quare tuũ est nunc ad opposita respondere.* Quinto *pro argumentis non afferre suorum aduersariorum sententias exagitandi causa mutilate, & calumniose hinc inde excerptas: quod sæpe faciunt sophistæ, vt Antagonistam a quæstione proposita abducant.* Sexto *cerebri sui commentũ calumniose aduersario suo non adscribere, id est, non impingere aduersario suo, & imputare errores, quos non docet & defendit.* Deniq; *non confingere sibi monstrum, cum quo pugnet, & frustra aerem feriat.*

Hactenus fuerunt officia Opponentis propria.

Sequuntur Respondentis Propria. *Primo* assumere seu repetere obiectioné; *Secundo* eandem vel concedere, vel confutare.

Concedenda est obiectio si legitime sit conclusa, & præterea perspicua & vera.

Confutanda vero est, si in ea vitium aliquod insit.

Vitium vel in Forma, vel in Materia est, vel in Vtraq;.

Si in forma est vitium, respondetur vel Negatione consequentiæ, vel Comparatione cum simili exemplo vitioso.

Vitium in materia vel in Verbis est, vel in Rebus.

Vitium in verbis vel Obscuritas est, vel Ambiguitas.

Ad obscurum respondetur, vel Interpretatione obscuri, vel Confessione ignorantiæ.

Ad ambiguum respondetur Distinctione ambigui.

Si ambiguitas oriatur ex homonymia vocis alicuius, respondetur distinctione significationum vocis illius.

Sin ex amphibolia, id est, orationis ambiguitate, respondetur distinctione diuersorum sensuum.

Vitium in rebus Duplex esse potest,

Vel contra Veritatem tantum;

Vel simul contra bonos Mores.

Si sit contra veritatem tantum, tum respondetur vel Directe ad rem, vel Non directe.

Directe quidem vel Inficiatione præmissæ falsæ,

falsæ, vel dando Instantiam contra præmissam non vniuersaliter veram, vel Retorsione argumenti in aduersarium, vel Deductione ad aduersa.

Non directe respondetur vel Oppositione fortioris argumenti (*vt si defendenti infusionem animæ a Deo opponas fortius pro traduce*) vel Oppositione æque difficilis obiectionis, ad quam si aduersarius responderit, nos quoq; ad eius obiectionem responsuros esse nos pollicemur, vel Translatione oneris respondendi in alium. *Exempli gratia in Præsidem.*

Vitium, quod est simul contra bonos mores, Vel committitur studio exercendi se, ad discendas refutationes aduersariis opponēdas, & tum respondendum ad rem, Vel oritur ex improba malitia aduersarij, & pertinet ad ignominiam Dei, *vt si quis serio & pugnaciter*, vel licet non serio, tamen non in ioco nec decenter disputet, non esse Deum, non esse vitam æternam, & tum vtendum est responsione ad personam, & Vel prudenter monendus aduersarius, quod non sit fas talia inquirere nec expediat, Vel ingeniose abducendus est a quæstione, si sit potentior seu dignitate superior, vel prorsus tacendum, ne multum contradicēdo furor aduersarij augeatur, Vel respondendum per comparationem similis quæstionis, quam pij omnes detestentur.

Tertio *si in obiectione præmissarum aliqua sit dubia, sic, vt non liqueat certo, verane an falsa sit, tum respondens eam iubeat probare, deinde respondeat ad probationem, & ostendat, quod vitium ab*

opponente sit commissum. Si probatio ex falsis vel alienis principiis est sumta, monendus est opponens, vt afferat probationem ex veris & Germanis principiis, vt si aliquis velit suam thesin probare ex pontificiis traditionibus, tum reuocabis eum ad sacram scripturam.

Quarto respondentis officium est, *Testimonia ad probandam dubiam præmissam allata expendere, an id dicatur in illis, quod in dubia præmissa continetur, an vero aliud. Solent enim sophistæ testimonia citare, quæ ad rem nihil faciunt.*

Quinto *data responsione ad propositionē & assumtionem ostendere, quod ex præmissis aliud sequatur, quam aduersarius colligit.*

Sexto, *non probare sua tum, cum aduersarij argumentum est refutandum.*

Septimo, *prudentiā adhibere:* Nempe si quid calumniose & deprauate opponens obiiciat e suorum aduersariorum scriptis, cogendus est monstrare locum, vt exquiratur an recte profe-rat illorum sententiā, quo solide & recte ei respondeti possit. Si quid calumniose & deprauate obiecit & citauit, a calumnia vindicandū. Sin autem illorum Doctorū quispiam incommode & periculose locutus est aut scripsit, non est magnopere de priuata eius defensione laborandum, siquidem nihil ad nos pertinet, si alij errent, quorum errorem nos non tuemur.

Octauo, *testimonium inimici contra inimicum non admittere*, quia tale testimonium est merito suspectum, siquidem ex maleuolo animo solet proficisci. Sic nemo recipere debet testimoniū hære-

hæreticorum contra nos, quia illi ſunt noſtri hoſtes iurati, & plurima nobis per calumniam impingunt hæretica dogmata, quæ nos nunquam docuimus nec defendimus.

Nono, *non ſinere ſe abduci a quæſtione propoſita.* Nam Sophiſtæ incautum antagoniſtam ſic ſolent fallere, vel cum prorſus aliena miſcēt, vel cum priuatas quorundam Doctorum opiniones afferunt, vt ita a quæſtione principali diſputatio abducatur ad altercationē de perſonis.

Decimo, *reuocare opponentem ad quæſtionem principalem, ſi opponens vel decipiendi vel rixandi cauſa proferat quorundam Doctorum dicta perperam & calumnioſe citata. Aduerſarium ſuis ipſius verbis, ſeu ipſius teſtimonio refutare. Probationi præmiſſæ dubiæ diligenter attendere, ne aduerſarius aſſumptionem probet, quando propoſitio erat probanda.* Solent enim Sophiſtæ in ſyllogiſmis præſertim connexis probationem aſſumtionis afferre, cum propoſitionis eſſet afferenda probatio, *vt, Si caro Chriſti vere eſt cibus, manducatur capernaitice, At prius eſt, Ergo & poſterius.* Probatio propoſitionis, *quia Chriſtus dicit Ioan. 6. c. Caro mea vere eſt cibus.* Reſpondetur, *Atqui hæc probatio non probat propoſitionem ſed aſſumtionem.*

Patres vel Philoſophi contra noſtram ſententiam obiecti non ſunt reiiciendi cum contemtu, ſed ſimpliciter patribus ſcriptura, & Philoſophis argumenta artificialia vel teſtimoniorum, ſenſus & experientiæ obiicienda ſunt, Exempli cauſa, Inquis, *Nonnulli ex Patribus hoc ſic*

exposierunt, Respondetur, *At cum reclamet sacra scriptura, quid eorũ auctoritas aduersus Christum prætenditur.* Item, *nos patrum non serui sumus, sed filii, quando ex auctoritate diuina nobis aliquid præscribũt, tanquam parentibus obtemperamus. Si quid contra cœlestis doctrinæ vocem præcipiunt, non illis, sed Deo auscultandum esse dicimus.* Sic si contra rationes tuas firmas obiicitur auctoritas Aristotelis, Responde, *Ego sum nullius addictus iurare in verba Magistri; Ego non sum mancipium & seruus abiectissimus Aristotelis.*

Hactenus de forma Disputationis. Restat finis.

Finis Disputationis non tantum est exercitatio, qua tyrones verum tueri, falsum refellere discant, sed etiam inuentio veritatis eiusdemue confirmatio. Qua inuēta constabilitave acquiescendum est; Alioquin nimium altercando veritas amittitur, non eruitur sed obruitur.

FINIS.